

## **Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv**

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

**Grodzicki, Stanisław**

**Ingolstadii, 1609**

Dominica Secvnda In Qvadragesima. Euang. Matth. 17.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](#)



D O M I N I C A  
S E C V N D A I N Q V A-  
D R A G E S I M A.

*Euang. Matth. 17.*

**N** illo tempore; Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius', & duxit illos in montem excelsum seorsum. et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius, sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum; Domine, bonus est nos hic esse. Si vis, faciamus hinc tria tabernacula: tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placui, ipsū audi-

L. 2 te,

te. Etaudientes discipuli ceciderūt in faciem suam, & timuerunt valde, Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis. Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, nemine viderunt, nisi solum Iesum. Et de scendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem; donec filius hominis à mortuis resurgat.

## PARTITIO.

**C**eleberrima transfigurationis Christi historia, continet: tum proœmium, in quo Iesus tres sibi cariores discipulos in monte duxisse narratur: tum ipsum Transfigurationis modum, narrationem: tum quæ circa illam acta fuere: tum deniq; Epilogum, ubi Apostolis, ne ea quæ viderant, ante suam à mortuis Resurrectionem, diuulgent, serio prohibet Christus Dominus.

Nobis proœmium primæ concioni occasionem dabit: reliqua reliquis copiosam subministrabūt materiam. Nam & personæ, dicta ac facta, que in monte hoc visuntur, digito nobis Christi Ecclesiæ demonstrabunt: & expositio Enangelij, doctrinæq; hinc excerptæ, spem erigent: & Multiplex Transfiguratio, fructusq; inde emanantes, ad amorem tam benevoli Patris ac Domini nostri, incitare nos poterunt abundanter.

CON-

## CONCIO I.

TIMOR.

MONS  
CHRISTI  
ET SA-  
THANÆ.

*Et post dies sex, assumpit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioanem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum.*

**S**T fortè quod aliquis miretur, cur Ecclesia sponsa Christi, quæ cum in alijs omnibus: rum in recensendis, hoc sacro quadragesimali tempore, Euāge- lijs, miro & apto vtitur ordine, hanc quam audistis, die hodierna nobis proponat historiam. Quæ enim est, quæfo, iucundissimæ Trāfigurationis cum mœsto hoc tempore, coniunctio? quæ illorum D. Petri verborum, BONVM EST NOS HIC ESSE, cū iejunio à quo quamprimum liberi esse cupimus, conuenientia? quæ deniq; semiatro colori, quo nūc vtimur; cum vestimentis Christi Domini hodie instar niuis candidis, cognatio? Hæc si Catholicus discendi causa percunctatur, inueniet, vnde etiā in his minimis, diuinam Spiritus S. in regenda Ecclesia, miretur laudetq; , prouidentiā: sin hæreticus cauillandi animo id sciscitetur ; bonū quidem videtur iuxta præceptum Christi, non mittere margaritas ante porcos, tamen, quia omnium debitores sum⁹, omnesq; in Christo Iesu (ipse

Matt. 7.6.

L 3

nouit

156 DOM. II. IN QVADRAG.  
nouit in cuius conspectu sumus) saluos esse  
cupim⁹, quatuor huius ordinationis causas  
adferemus in medium, tam insignes & pré-  
claras, vt singulæ singulis nostris concioni-  
bus, aut materiam subministrent copiosam,  
aut campum dicendi dent eximum. Hodie  
itaq; præmissa thematis, quod proposuim⁹,  
explicatione; primā huius instituti Ecclesiæ  
afferem⁹ rationē: indeq; accepta occasione,  
quonā modo, tam Sathan, quā Christus, nos  
in mōtē ducat, perpendemus; ac deniq; quo  
nobis factō sit opus, vt ad montem Dei per-  
ueniamus, sedulo inuestigabim⁹. Da Christe  
Iesu, id ita faciamus, vt & in hac, & in illa vita  
stantes in monte sancto tuo, videre, amare,  
& laudare te valeamus in æternum.

2. MEM.  
BRVM.  
Thema.  
Mat. 9. 2.  
Luc. 9. 28.

ET POST DIES SEX, inquit noster Matth.  
ex quo hodiernum Euang. desumptum est,  
idemq; Marcus; Lucas vero sic: Factū est autē  
post hāc verba ferē dies octo. Post quā verba?  
Omnes tres (nam Ioannes more suo omisit,  
quod alij copiosè pertractarunt, quāvis ipsi-  
us, qui aderat res ageretur) conueniunt; id  
post dictum illud, Amen dico vobis, sunt quidā  
de hīc stantibus, qui non gustabunt mortē, donec  
videāt filium hominis venientē in regno suo, eue-  
nisse. Id vero præmisserat Christus, vt tristitia  
Apostolorum, quam ex prædictione mortis  
suæ hauserat, aut tolleret, aut leniret: vtq; o-  
stenderet qualis ad iudicandū esset venturus;  
(cæteras rationes in alijs cōcionibus adfere-  
mus) illud teneri erga suos amoris; hoc ti-

PROP.  
Quadri-  
memb.

Quando.  
hac acta.  
Mat. 16. 28

Cur? cause  
due.

moris, argumentū est. Neq; enim ita illū im- *Timor in-*  
pij tunc, vt nūc discipuli, videbūt; sed gloria *dicas.*  
quidē fulgentem, verū aspectū sibi adeo ter-  
ribilē, vt dicturi sint i montibus & petris: Cadite *Apoc. 6.16.*  
super nos & abscondite nos à facie sedeniis super  
chronū, & ab irā Agni. Miranda sanè & deplo-  
randa tunc erit istorū metamorphosis, quā-  
do, qui olim, vt leones, in alios fāciebāt, tūc  
neq; irā Agni sustinere, neq; in cauernas ter-  
rā, ab ea abscondere se se poterūt. Hęc medi-  
tentur, qui in peccatis sepulti, iacēt, & ante-  
quā illa horribilis transfiguratio veniat, eius  
quā hodierna designat, per pœnitentiā, par-  
ticipes fieri satagāt. Cāterū quod ad dissidiū  
Euangelistarū in numero dierum, attinet; id  
particula, fere, facile tollitur. Ea. n. docet Lu-  
cas, se non intermedios tantū dies, vt Matth.  
& Marc. sed & extremos ponere. Ab ea. n. ho-  
ra qua prædictio mortis Apostolis facta est,  
vsq; ad Transfigurationē, octo penē dies in-  
tercesserūt, præsertim iuxta eorū opinionē,  
qui noctu factā Transfigurationē autumāt.  
Itaq; vna dierū manē, prædixerat Christ⁹, &  
se Hierosol. occidendū; & quosdā è discipulis  
nō morituros, donec viderēt eū in regno, id  
est, in gloria sua. post hoc vaticiniū, expecta-  
uit 6. alios dies integros; & 7. demū sub Vesp.

ASSVMPST Iesvs quosdam, quando, vt  
videtis, octauus iam penē effluxerat dies, ab  
eo tempore, quo sermonem cum discipulis  
habuit. valde bene itaq;, inquit Lucas, post

L 4      hæ

hæc verba ferè dies octo intercessisse; nec male alij, qui intermedios tantum numerant. Quos vero assumpsit?

P E T R U M E T I A C O B U M E T I O-  
m i s t o m n e s , A N N E M , inquit Matth. & alij. Cur vero nō  
ob tres cau- omnes Apostolos assumpserit; plerumque  
sas.

*Accipit hos  
tres totidē  
de causis.*

illa assignatur ratio, ne Iudas Iscariotes, qui tali visione indignus fuit, interesset. Fortè etiam propterea, quia secretum id habere voluit, quod in pluribus nō tam facile conservatur. Denique quia prædixerat, aliquos tantum id visuros. Porro cur hos & non alios acceperit, varijs varias assignant causas. Præcipuæ sunt meo iudicio, Prima, quia hos fortasse, ex nuncio mortis suæ, magis cæteris contrastatos vidit. Nec mirum, dolor enim amorem sequitur; proinde quo quis plus amicorum aduersi acciderit. Hos vero tres Christum magis amasse cæteris, non obscurum est ex scriptura, & de Petro quidem certum. Secunda ratio esse potuit, quia hos tres in hortum, in quo & à Iuda traditus, & à Iudeis captus fuit, destinauerat vñā secum accipere: idcirco ad maiores tentationes sustinendas potioribus illos munit auxilijs. O bonitas! ô prouidentia paterna! Tertia ratio ad mores pertinet. In typo enim horum trium Apostolorum, commendantur nobis tres illæ virtutes, in quibus nostra transfiguratio, (cuius hæc Christi exemplar fuit) in ani-

*Iohann. 21. 15.*

*Quatuor  
ad nostram  
transfigu-  
rat. necessa-  
ritas.*

ma

ma, dum hic sumus, in primis consistit. Fides, inquam, in Petro, qui post Christum petra est fidei & fundamentum Ecclesiae, spes vero in Iacobo, cui illud, quod de Abrahamo Paulus inquit, *qui contra spem in spem credidit, per belle competit. Is n. cōtra communem spēi cursum plures mortuus, corpore & reliquiis suis, quam viuus præsentia sua, in Hispaniis, Christo animas lucratus est. Charitas denique quam apte in Ioanne figuretur: tam Euangelium, quam Epistole ipsius testantur. Hæc igitur tria procuranda sunt omnibus, qui participes Christi Trasfigurationis esse volunt. Iis vero qui peccati lethalis sibi concij sunt, addenda est pœnitentia, quæ quantopere in Petro viguerit, nemo est qui nesciat. Porro ad differentiam alterius Iacobi, additur.*

FRATREM EIUS, Ioannis videlicet. Non defuerunt enim quidam, etiam è Partibus, qui putarunt Iacobum, qui frater Domini vocabatur, ductum fuisse in montem hunc, sed memoria lapsi fuere. Hos igitur tres assumpti.

ET DUXIT ILLOS Christus, iubendo ut se sequerentur.

IN MONTEM Thabor fuisse, scribit Damascenus & approbat traditio. Fuit autem mons Thabor in Galilæa, aliquot milia libus à Nazareth distans, celebris victoria Barach & Debora, quam ibi ex Sisara re-

*Matb. 16.*

*17.*

*Rom. 4.18.*

*Mons Tha-  
bor.*

*Iud. 4.6.*

*2. Pet. 1.18.*

portarunt. Hanc Petrus vocat montem Sanctum, iure optimo, vel propter hunc solum actum hodiernum. Additur.

Iof. lib. 4. de  
bell. Iud.  
cap. 2.

**EXCELSVM.** Quia teste Iosepho fuit altitudinis quidem triginta, amplitudinis vero viginti stadiorum; planus in vertice, & pulcher campis virentibus. Eo igitur duxit Christus hos tres.

**Noste facta**  
**transfigura-**  
**tatio.**

I.  
2.  
Luc. 6. 12.  
Luc. 9. 37.

**Historiae**  
**acte.**

Ibid. 9. 31.

SEORSVM, ab aliis, & Solos, vt ait Marcus. Lucas vero addit caufam, vt oraret. Vnde etiam colligitur noctu facta esse hanc Transfigurationem, tum quod constet ex eodem Luca Christum in oratione pernoctare fuisse solitum, tum vero ex eo, quod idem testetur, sequentia die. (nono videlicet iuxta ipsius supputationem) Christum cum suis de monte descendisse. Res ita acta videtur. Octauo (vt exposuimus) ab illo colloquio die, iuit Iesus cum discipulis ad montem Tabor, ad cuius radices nouem ex eis reliquit; ipse vero inclinata iam die ad vesperum, cum dictis tribus, ascendit in montem, ibi in oratione pernoctatus. Quod dum facit, tres illi grauati somno, obdormierunt. Et euigilantes viderunt Maiestatem eius, & duos viros, Moysem videlicet & Eliam, qui stabant cum illo, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. Quo viso suauissimo exhilaratus Petrus, in illa protrupit verba. D OMINE BONUM EST NOS

HIC

HIC ESSE. Sed his dictis, & ipse & socij eius; tum nube lucida: tum voce è cœlo lapsa cōterrati, CECIDERUNT IN FACIEM SVAM, nec prius surrexerunt, quam Christus tangendo eos cōfortaret ( quod forte illucescente iam nona die factum est) quo facto apertis oculis NEMINEM VIDERVNT NISI SOLVM IESVM; qui descendantibus de monte prohibuit, ne cui visionem hanc, ante suam à mortuis resurrectionem reuelarent, quod & fecerunt.

Hæc pro intelligentia historiæ dicta sufficiant. Iam vero primario nostro instituto satisfacientes, vnam è causis, cur hoc Euangelium hodie legatur, perpendamus. Ea vero est: Dei Optimi Maximi, Sponsor ipsius suavis dispositio: qua statum, in quo in hac peregrinatione constituti sumus, nobis filiis suis ob oculos ponit. Quamdiu enim peregrinamur à Domino diligissimi, tamdiu inter duos montes collocati sumus: & à dextris quidē mons est Christi Iesu, à sinistris vero Dæmonis infernalis: eorum alterum ascendere nos oportet omnino: neque n. vllum hac in parte mediū datur. Itaq; quia Luciferiani montis, præterita Dominica fecerat mentionem, Ecclesia hodie meminit alterius, vt nos nostri cōmonefaceret officii, vere pia mater, vere de salute nostra sollicita. Hos igitur duos montes contemplabimur hodie: subministrabunt enim nobis,

II. MEM.  
BRVM.  
legitur hoc  
Euangelio  
ob duos  
montes.

vt reor, abundantem & utilissimam toti cō-  
cionis materiam, considerantibus nobis, tū  
naturam eorum: tum duces, qui nos eo vo-  
cant: imo præcedunt ac suo modo impel-  
lunt: tum media: tum fines, aliaque huc per-  
tinentia attributa. Et vero, vt res procedat  
ordinatus, thema iterum resumemus, &  
per antithesim hunc cum illo, quem con-  
siderauimus ante octiduum, monte compa-  
rabimus. Inquit igitur D. Matthæus.

I. Ut in bi-  
uio caute  
ambule-  
mus.

ET POST DIES SEX. Sex dierum  
spatio conditum esse orbem, & volui ac re-  
uolui totum huius mundi laborem, noui-  
mus ex ipso Sacræ scripturæ initio: dies e-  
nim septimus sabbatismo & quieti desili-  
natus est. Porro octanus, cuius Lucas me-  
minit, ad caput reddit, & cælestem denotat  
beatitudinem. Multa & præclara mysteria:  
at Deus vnum tantum nostro instituto ser-  
uiens tangimus: nec aliud quam quod iam  
insinuauimus; toto, videlicet, vitæ huius té-  
pore nos in biuio, ad duos montes, tendé-  
te, constitutos esse. Tempore enim hoc ex-  
plete, explebitur etiam illud, quod sapiens  
Ecclesiastes 11.13

air. Si cecidierit lignum ad Austrum, aut Aquilo-  
nem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Nunc  
igitur, nunc inquam, iam iam, momentis  
singulis, circumspiciendum est nobis: & ad  
quem montem properamus, imo in quo  
collocati sumus, & quam caute in eo ambu-  
lemus;

lemus, vt nos, tum Apostolus graphicē,  
tum Euangelium typice monēt. Hęcigitur  
est prima, quę nos concernit, conditio. Al-  
tera, verbo

A s s u m p s i t , designatur: quod & in  
hodierno Euangelio, & in illo, ante octiduū, <sup>2. Et Iesum  
seq̄namur.</sup>  
legimus. Signat autem esse aliquos, qui nos  
ad vterutram biuī impellant partem. quo-  
rum vnuſ, est.

I E S U S , qui ad dextram invitat: alter  
Diabolus, qui ſinistrā vrget, vt antea au-  
diſtis. Christus igitur bona ſuadet: ſine cu-  
ius adiutorio nullum opus quod proprie  
bonum eſt perficitur. Propterea Ecclesia ex  
Dauide, ōcties diebus ſingulis clamat. Deus  
in adiutoriorum meum intende: Domine ad adiu-  
uandum me festina. Rogari enim vult, vt agat,  
quod agit. Aſſumit autem Christus.

P E T R U M, E T I A C O B U M, E T I O-  
A N N E M F R A T R E M E I V S , in quibus  
omne genus humanum comprehenditur.  
<sup>3. Et expiatio  
rum ſimilis  
numero.</sup>  
Idcirco à Doctoribus comparantur tribus  
filiiſ Noe, qui mundum repararunt vniuer-  
ſum. Rechte id quidem, ſed cum illa ramen  
eautione, vt memineris, illic quidem vnum  
fuiffe maledictum, hic nullum: neque id ſi-  
ne mysterio. Illi enim carne terram: hi ani-  
mabus cęlum replere debabant. Etsi vero  
non ſit anxie percūſandum, quonam  
modo ad hos tres, totum huma num genus  
redu-

Tres hi-  
mnes pios  
denotant.

reducatur, cum nec Patres huius rei dent rationem: tamen possumus forte dicere, in iis tres status, in quos tota piorum diuiditur Ecclesia denotari, statum inquam coniugatorum, virginum, & siue in viduitate, siue alio modo caste viuentium. De duobus constat nobis certo: Nam & Petrum vxorem habuisse, ex scriptura colligimus: & Iohannem virginem permanisse, traditione tenemus. De solo Iacobo est difficultas: de quo quia neutrum legimus, merito in classe caste viuentium illum collocamus. Hos igitur tres assumpsit Iesus, nec assumpsit modo sed.

*¶. Ut duci  
nos a Iesu  
patiamur.*

ET DUXIT EOS. Quibus verbis notatur libertas arbitrii nostri: Ea enim in biuio isto positi, quo volumus, iter inflextimus, & dum sequimur nostrum, siue ad dextram, Iesum, siue ad sinistram Diabolū. Duo. n. quæ ad actus nostros, ut homines sumus, requiruntur, his verbis notantur: & libertas, quæ dixi: & externum adiutorium. Deductio. n. ista, non coacte, sed libere fit. Quicunq; enim hac ratione deducitur, debet se voluntarie in manu deducentis, ponere, eiusque consilio acquiescere. Sicut & Apostoli hic fecerunt, & ante octiduum ipse Christus permisit, se affumi & portari à Diabolo. Quo vero ducuntur?

IN MONTEM EXCELSVM. Idem fecisse dia-  
bolum

bolum Christo audiūmus ante ostiduum. est tamen hic aliqua differentia. Ibi enim dicitur, assumptus Iesus in montem excelsum valde; hic, pro valde additur

SECRETO, non sine mysterio, quod iam pandamus, & iuxta promissa naturam horū montium & assumptionum, ac in quo conueniant, vel discrepent, perpendamus.

Et vero cōueniunt pene in singulis, quæ recensuimus, verbis. Vtraque enim hæc asumptio, sit, quamdiu hic in mundo sumus, & quamdiu sex dierum spatio, opus peragimus nostrum, nec prius quam ipsa terminatur morte. Cautos igitur & vigilantes nos esse oportet semper. Vtraq; habet sua-fores, monitores, & impulsores suos: quorū vterque libere nos permittit ut libero arbitrio nostro. Neuter enim voluntatem nostram cogit. Vterque non incitat modo, sed & iuuat operantes. De Deo, certum est ex scriptura. De Dæmone per bellum est illud exemplum Eremitæ cuiusdam, qui in ædificanda sibi cellula nimium occupatus, minus deuotioni vacabat. Hunc cum Abbas vidisset ingenti malleo petram percutientē interrogassetque quidnam ageret, responsum accepit: Ecce, mi Abba, laboramus & sudamus multum, in frangendo saxo hoc durissimo. Cui Abbas: bene inquis, vos laborare, Nam non solus id agis; Video enim

*III. MEM.  
BRVM.*

*Horum duo  
rum mon-  
tium natu-  
ra, &c.*

*Conueniunt  
in 7.*

*1.  
2.  
3.  
4.*

*Exemplum  
bellum.  
In Città SS.  
Pat.*

enim nigrum Æthiopem (Dæmonem intellexit) in vibrando hoc malleo egregie te iuuentem. hæc ille. Id ipsum nobis sentendum est, de quo quis opere, quod contra vel etiam præter Deum agimus. Conueniunt præterea: quia vterque dicit in montem. Vtrobique enim fatigari nos oportet. Exemplum iam vidisti: sed & voces illas non semel audisti. *Lassatus sumus, inquiunt, in via iniuritatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Quid his dici potuit clarius?* Conueniunt, quia vterque excelsa petit, vt audis. Cōueniunt denique, quia vterque gloriam ostendit, sed multum differenter valdeque diuersam.

*Discrepant, quia PRIMO. Duces sunt contraria.* *Apoc. 1.5.* Differentias igitur iam intueamur, nec omnes sed potiores tantum. Sumamus autem exordium à ducibus, quarum altera est ~~se~~ gemma bonitas: altera, suprema nequitia. Dealtero enim inquit Ioannes, *Iesus Christus, qui est testis fidelis, primogenitus mortuum, & princeps regum terræ.* De altero vero, ipse Saluator: *Venit princeps mundi huius.* *Ioan. 14.30.* Istum tribus vocari nominibus audistis a Terna sin. te octiduum, nempe diabolum seu calugorū nominatum, Sathanam sive aduersarium, & tentatorem. Illum vero totidem insigniri, habemus in hodiernō Euangello. Nuncupatur enim Iesus, id est, Saluator, à Matthéo: Filius, à Deo Patre: Dominus, à Petro: Quis horum

horum duorum magis vobis arridet? Iesvs,  
inquis. Filius Dei. Quis enim Christiano-  
rum id non dicat? Nullus, vt reor, verbis: at *Quem paf-*  
*factis, quam multi, ne dicam innumerite.* *sim sequan-*  
*periuntur, quibus Diabolus magis,* *tur Chri-*  
*Christus placet. Nec probationibus multis* *stiani*  
*opus est. Ipsa, quæ protulimus, vtriusque*  
*epitheta, & opera vestra, euident dant huic*  
*rei testimonium. Quomodo enim placere*  
*vobis potest Iesvs Saluator, qui salutis ve-*  
*stræ curam geritis nullam? Quomodo Chri-*  
*stus, qui Christiane viuere refugitis? quo-*  
*modo testis fidelis: qui hærefes, schismata,*  
*acalias nutritis perfidias? quomodo filius*  
*Dei vobis cordi est, qui cor vestrum Dia-*  
*bolo offertis, eiusque potius quam Dei fi-*  
*lii esse eligitis? Nonne audiuitis Christum*  
*Iudæis exprobrantem, *vos ex patre Diabolo,**  
*estis. causamque assignantem; quia desideria*  
*patris vestri vultis facere. Quoties ergo ho-*  
*miceria, adulteria, stupra, fornicationes, ra-*  
*pinas, furtæ, blasphemias, perjuria, ebrieta-*  
*tes, & alia generis eiusdem, *Principis mundi**  
*huius desideria expletis, imo explere tan-*  
*tum vultis (vt ex ore ipsius Christi percep-*to* ius toties filij Diaboli efficimini: toties Ie-*  
*svm, qui hæc vniuersa abominatur, abomi-*  
*namenti. Qua igitur fronte, qua veritate,*  
*placere vobis Christum asseritis? Quid di-*  
*cam de iis, qui alios calumniantur? qui Deo,*

M

Ange-

104.8.44.

*NOTA,*

Angelis, & omnibus pii aduersantur, imo  
vos insectantur? qui tentant, & ad peccandum  
alliciunt, quos possunt, cohortationib. iocis,  
minis, muneribus, modisq; alii innumeris?  
Nōne isti, sunt ipissima proles Luciferi? qui  
& nomina ipsius in se deriuant & fidelissimi  
sunt eius adiutores. Vos ipsi iudicate, &  
secundum hęc, facta, dicta, & cogitata vestra  
excute. Facile. n. inde cognoscetis, quem  
ducem sequimini, & in cuius castra conce-  
sistis. Pudeat, pudeat, pigeatq; illū qui Chri-  
stianum se esse profitetur, inimici potius  
Christi, quam ipsius Iesu, ducatum sequi.

Verum ductum iam vtriusq; perpenda-  
mus. Eum vero, dæmonis quidem præteritū  
Christi vero, hodiernū nobis describit Euā-  
gelium. Vt terq; autem, vt audis, Assumpsit  
ET DVXIT, sed differenter. Sathan. n. id agit  
non modo consueto & naturali, sed omnino  
præter naturam accipit, per aera fert, & col-  
locat, iam in pinnaculo templi acuminato,  
iam in mōte excelsō valde, prærupto & præ-  
cipiti. Hęc omnia fecisse Christo, vidimus,  
ipso consentiente. Id ipsum agere illum mo-  
do spirituali, cum quis peccante, certo i-  
bi persuadeas velim. Etenim violentus nos  
inuidit, tum per corpus, passiones, habitu-  
que nostros malos; tum per illecebras; tū per  
socios; tū aliis sexcētis modis, ac periculosa,  
prærupta, confragosa, & contra naturā sua-  
det persuadetq;. Quo teste? præter scripturā  
ipsi.

*SECVN-**DO. Du-**ctus longe**druerfus.**Demonis e-**nim contra**naturam**probatur id**1. Ex Euān.**2. Ex modo.**3. Ex Philo-**sophis.*

ip̄fis̄met etiam Philosophis, qui omne peccatum toti repugnare humanæ naturæ, solo naturali lumine, & asscuti sunt & docuerunt. Quanta ab his condemnatio Christianis timenda est? Nec aliud demonstrat magistra omnium experientia. Duo ex innumeris cape exemplis. Vnum alius, alterū nostris & vicinis commune oris. Illud, est blasphemia; qua quid magis contra naturā ex cogitari potest? Deum Optimum Maximū conditorem, gubernatorem, redemptorem ac conseruatorem suum, absq; vlo commendo & emolumento, summo cum detimento suo, maledicta insectari lingua? Quis stipes non iudicabit, totius penitus universi & rationis ordinem, euertere ac è medio funditus tollere scelus istud? Ebrietatis vitium est alterum, quod quonā modo naturæ non repugnat humanæ, cum totam in *NOTA.* intimis & extimis inficiat, lēdatq; facultates perdit, vxorem & liberos depauperat, caput inficit, stomachū euertit, aciem oculorum retundit, corpus debilitat, ipsamque animam, tum gratia diuina, (quod ei commune cum aliis peccatis mortiferis) tum iudicio ac ratione priuat. Quod monstrum hoc deformius? Inde de cæteris omnibus vitiis fer iudicium. Et si sine mente & iudicio non es, timore salutati percellere, nec cōfensum prebeas Diabolo, rapere te cupienti. Neminem enim, vel assūmit, vel

*3. Experiētia  
sua Exemplis.*

*Tum bla-  
sphemia.*

*Tum ebrie-  
tatis.*

*Timor.*

ducit, nisi volentem. E contrario vero con-  
uerte oculos tuos ad IESVM , & aspice quam  
iuxta cōmunem naturæ cursum assumptio  
& deductio hæc fiat. Pedes ipse Christus  
procedit, ac vt solitus erat, & progreditur  
lente, & discipulos alloquitur amanter, i-  
tineris molestias piis iucundisque lenans  
sermonibus. Pedibus quoque suis tres illi  
Magistrum sequuntur, passum passu reden-  
tentes. Tale est virtutis iter, dilectissimi: quo  
nihil æque secundum naturam. Ambulan-  
dum est quidem, cum nihil in mundo fiat si-  
ne labore: sed eundum modo naturali: non  
aera penetrando, vt illic, sed terram a ter-  
rena premendo & calcando, vt hic Christus  
facit cum discipulis. Acerbitas quæcumque  
est viæ, ratione tollenda, vel toleranda: &  
piis meditationib. ac ad Deum precibus mi-  
tiganda. Lente deniq; est progrediendum.  
Non enim volando, sed ascendendo attin-  
gitur summitas scalæ, inquit ille sanctus.

*Bernardus.* Duces & iter vidimus: terminum iā con-  
*TERTIO* templenur. Mons est utrobiq; quia, vt toties  
*terminus* dictum est, vbiq; fatigatio est necessaria. Di-  
*dispar.* cāt quidquid velint, qui in mundū sequuntur:  
& mentiantur quantū placet, nil in via quā  
sequuntur, laboris esse. Olim fatebuntur ve-  
ritatem, magno cum suo malo, quando &  
illud sapientis, & hoc Davidis. Et mentita est  
iniquitas sibi. implebitur. Nulli enim magis  
quam sibi impii mentiuntur, seq; ipsos le-  
ducunt

ducunt maxime. Porro montes isti utrobiq;  
duplices sunt, & alii quidem in hac, alii in illa  
vita habentur, scripturā vis? Audi de monte  
Diaboli temporaneo, Prophetas, imo Deū  
ipsum de suis Iudeis conquerentem eos, ni-  
mirum, *super omnem montem excelsum, forni-*  
*catus esse cum idolis, ac de illorū comedisse*  
*sacrificiis, quos omnes impii imitantur. O-*  
*mnes enim scelsti, idolatriā quodammodo*  
*committunt, prout de avaritia Aposto-*  
*lus expresse afferit: vt tu hinc, idem de cāte-*  
*rīs concēdas. Iste igitur sunt montes*  
*Diaboli, omnibus scatentes vitiorum ge-*  
*neribus in quibus quicunque persequera-*  
*uerit usque ad mortem, transibit ad alios*  
*Diaboli montes, de quibus Hieremias:*  
*Date Domino Deo vestro gloriam, ante-*  
*quam tenebrescat, & antequam offendant pedes*  
*vestri ad montes caliginosos. Quid hic vulnus Pro-*  
*pheta aliud, quam, vt antequā obtenebren-*  
*tur oculi nostri in morte, resipiscamus, &*  
*gloriam Demus Deo: priusquam pedes no-*  
*stri offendant ad montes caliginosos; in quibus*  
*nullus unquam dabit gloriam Deo? O vti-*  
*nam omnes, qui peccatis sunt irretiti, verba*  
*hæc, vt par est, ponderare, & quamdiu pos-*  
*sunt per poenitentiam, à vitiis suis cessare,*  
*& ad Deum conuerti velint.*

De montibus Christi Domini, tam tem-  
poraneis, quā perpetuis, non est, quod mul-  
tiplicetur testimonia, cum plena sit illis scri-

*Jerem. 3.6.*

*Ezech. 33.*

*6.*

*Montes Dia-*

*boli pessimi*

*ex scriptu-*

*ra.*

*Col. 3.5.*

*Mōtes Chri-*

*sti optimi*

*ex Davide.*

M 3 ptura

ps. 67.15. ptura Sacra: præsertim vero Psalmi , qui va-  
 Nota enco- tiis eos ornant encomiis. Vnum accipe cō-  
 mta. sideratione dignum. Niue,inquit, dealbabū-  
 Domin. VI. tur in Selmon,mons Dei,mons pinguis , mons co-  
 post Epiph. agulatus,mons pinguis . Ut quid suspicamini mō-  
 con. 2. tes coagulatos ? Mons , in quo beneplacitum est  
 Deo habitare ( in eo etenim Dominus habitabit  
 in finem. Quę verba,iuxta regulas alias datas,  
 Historice quiden,intelligi possunt, de mō-  
 te Sion,at Litteraliter Ecclesiam Christi de-  
 notant,cum in hac,tum in illa vita commo-  
 2. Candidi. rantem,Paulo attestante : Tropologice ve-  
 ro animam iusti desighhabunt. Cuius hæ cō-  
 ditiones. Prima,quia candida est. Ecclesia  
 quidem verbo & Sacramentis, anima vero  
 iusti hic fide & gratia, illic vero gloria & bea-  
 titudine , tanquam mons Selmon , niue de-  
 albus; cuius etiam niuis , in hodierno Eu-  
 3. Pingues. angelio,mentionem factam audis. Secundo  
 pinguis est,& bis pinguis , vt & dona maio-  
 ra,hic,quam in veteri testamento,agnoscas.  
 & ad pinguedinem pinguissimam , qua cæ-  
 g. Coagula- lites perfruuntur,te præpares. Tertio,coa-  
 ti. gulati sunt montes isti. Ecclesia quidem in-  
 numeris personis : anima vero pia multis  
 virtutibus:patria autem gaudiis incompre-  
 hensibilibus, bene coadunata & compacta.  
 Nō est igitur,quod quis, siue hæreticorum,  
 siue impiorum montes,qui coagulati vidē-  
 tur sed nō sunt,aut suscipetur, aut suscipiat.  
 Deniq; in hoc solo monte, placet Deo ha-  
 bitare

bitare in finem , & in illo postremo vel maxime, quia in finem sine fine. Ut alibi idem inquit. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Nam & beati in Deo, & Deus in eis manebit perenniter , nec in caligine , quæ sicut in iis montibus Diaboli caliginosis: sed in luce æterna.

Hos igitur duos terminos, vita & mortis, pietatis & impietatis, caliginis & lucis, ponit tibi ob oculos mater tua, ô gens Christiana sub typorum istorum Euangelicorum montium. In quorum alterum, dicit Satan Deum hominem factum: in alterum ducit Deus, homo factus, homines. Tu vide utrum eligas. Tui enim causa, hæc sunt omnia. Si enim Diabolus, nec Deo quidem ipsi parcit, sed tentat illum, tibi parcer? Minime. Time igitur, & caue male esse securus, nec permittas te à Diabolo, sed à Deo duci. Quā ad rem iuvabit te plurimum, penitior horum montium consideratio. Quāuis enim ex scriptura non constet nobis, quinam illi montes fuerint: constat tamen ex traditione. Montem quidem ad quem Diabolus duxit Christum, fuisse saxeum, squalidum, horridum, nil vigoris vigorisque habentem. Vno verbo turpem ac præcipitem. Mons vero hodiernus, est mens Thabor, pulcher, amarus, pinguis, in superficie planus, ac virentibus campus conspicuus, ipso deniq; nomine, eximiū

M 4                    quid

*Psal. 75.5.  
4. Deo plan-  
centes.*

*QVARE  
TO.  
Montes isti  
differentes  
alio modo,*

*Quinā &  
quales fue-  
rint.*

quid denotat. Thabor enim, purum & ele-  
 etum significat, de quo Dauid, Thabor &  
 Hermon in nomine tuo exultabunt. Quod in  
 P. 88. 13.  
 hac Trasfiguratione Christi factum, quis du-  
 bitabit? Ingens equidem cordis exultatio esse  
 debuit, quae verba illa ex ore Petri extorserit.  
 DOMINE BONUM EST NOS HIC ESSE. I.  
 taque sicut in itinere, ita in terminis & mo-  
 tibus ipsis, habes viuam veramq; virtutum &  
 vitiorum imaginem, ut eam tanquam in spe-  
 culo intueare. Quid enim vitiositate fædus,  
 quam antiqui, etiam gentiles, turpem actionem  
 nuncupabant? Quid detestabilius eo,  
 quod ipsi etiam impii detestantur, dummodo  
 in eodem non hærent luto? Quid & que pe-  
 riculorum, stultumq; magis, quam illum offe-  
 dere, qui te cōtra hostem tuū capitalē defe-  
 dit? Sit quispiam debilis & æger in monte al-  
 tissimo, potentissimis circumdatuſ inimicis,  
 qui amicum, se à præcipitio defensant, pro-  
 bris & conuictiis afficiat, imo pugnis & cal-  
 cibus petat. Hæc tu videns, quid de tali sen-  
 tires homine? nonne ingratissimum & stu-  
 tissimum eum esse iudicares, qui in tantis  
 periculis constitutus, ita propugnantem se  
 tractaret? Vide igitur, ne tu ex eodem sis  
 numero, qui & in monte Diaboli vltro te  
 collocas, & protegentem te Iesum, mul-  
 to peius, quam iste benefactorem su-  
 um, excipis: ac tandem, si omnino  
 men-

Vitio nil fa-  
 dice, pericu-  
 losiss.  
 Et stultiss.

Nota exemplum  
 plumæ ſu-  
 milis.

mente captus non es, desinas à talibus, ac perhorrescas, ne ab eo derelictus, infernaliūm Dæmonum præda efficiare.

Non est, inquis, quod timeam. Nam homo quidem me deserere potest: at Deus, qui per Apostolum ait, *Non te deseram, neque derelinquam*, non faciet id vñquam. Quam vereor ne vanè & impiè his verbis tibi connueas, cum minimè de te intelligentur. Non audiuisti aliquādo, quid idem Deus Samue-li de Saule responderit? Audi igitur. Dicit Dominus Samueli, *Vsquequo tulages Saul, cum ego proiecerim eum?* datque causam, cur id fecerit, dicens. *Quia dereliquit me & verba mea opere non impleuit*. Idipsum, imo peius quid, cum tu agas, quācandem non petitis pecuniam? Quid si ostendero, verba Apostoli, tibi competere non posse, adhuc ne obstinatè, sine timore Dei, viues? Nege ergo verba quæ præcessere: *Fornicatores, inquit ille, & adulteros iudicabit Deus.* Sint mores sine auaritia; contenti præsentibus; ipse enim dixit, *non te deseram, neque derelinquam.* Tu vero qui fornicationi, adulterio, vel peioribus etiam das operam: qui per auaritiā, furtā, rapinas, vñuras exerves, viduas & pupillos deglubis: qui non contentus præsentibus modicis, commissationibus & chrietatis vacas: qui, inquam, ista & similia patras, quomodo hæc verba tibi applicare au-

M 5. des?

*Responsum  
regnatur.  
Heb. 13.5.*

*I. Reg. 16.1  
Impij per-  
horrescant,  
ne deseran-  
tur a Deo,  
Et. Saul.*

*Heb. 13.4.  
Cum con-  
traria di-  
ctis apostoli  
agant.*

*Cum id ra-*  
*tio doceat.* des? Nonne contrario modo, ex ipsa scriptura, ita nos melius argumentabimur? De relinquis tu Deum, verba eius opere non implendo; imo ijs contraria planè agendo; derelinquet te quoque Deus, sicut Sauli, & alijs, fecit. Quid tu, ad hæc, expressè è scriptura excerpta? Exhorresce ergo miser: & dum tempus habes age poenitentiam: tum de peccato ipso: tum de peruerso animo, quo peccata tua, niteris excusare; ne à conditore temporis, sine tempore, in æternum puniaris. De pulchritudine, utilitate, amoenitateque virtutum, & montis Christi, alia agendi occasio, expectanda erit: nunc vero, cæteræ differentiæ persequendæ.

*QVINTO.*

*Christus se-*  
*cretum.*

*Demon tur-*  
*bas amat.*

*Matt. 6. 3.*

Quarum illa, haud postrema: quod licet vterque mons iste excelsus sit, proindevis quod ad ludores, in utroque sit laborandum: cum id, excellum montem concidentibus, sit familiare; Sathanæ tamen mons, dicitur, *excelsus valde.* quod de Christi monte non legimus: sed legimus illum discipulos duxisse, *seorsum.* Vnde duplex sese offert differentia. Altera ratione secreti. Christus enim Dominus SEORSVM dicit, quia & solitudinem amat, præsertim internam; & quem si uaderet, tam secreto vult fieri, ut dicat; *Nesciat sinistra tua, quid faciat dexter tua.* Quod si aliqua publicè perficienda erunt, ut exple-

scri-  
De-  
non  
gen-  
, ex-  
refce  
age  
tum  
iteris  
tem-  
ritu-  
, &  
xpe-  
tentia  
licet  
le vi-  
um:  
enti-  
s, di-  
onte  
ulos  
dis-  
is e-  
zfor-  
que  
Ne-  
uod  
ex-  
lea-  
pleatur; quod idem inquit; *Sic luceat lux Mat. 5.16.*  
*vestra coram hominibus, ut videant opera ve-*  
*stra bona, ita peragendum est, ut non no-*  
*strum, sed Dei in omnibus queramus ho-*  
*norem. Idcirco subiungit. Et glorifcent*  
*Patrem vestrum, qui in cælis est: Non vos,*  
*vestrosque, parentes, aut familiam lau-*  
*dent, sed Deum & Christum Iesum. E con-*  
*trario vero Diabolus, licet in quibusdam se-*  
*cretum exigat; ne si fraus eius innotescat,*  
*p̄dām perdat: Semper tamen, tumultus*  
*amat; distractiones & detractiones suadet;*  
*gloriam propriā ita quemlibet querere iu-*  
*bet; ut si virtutes, vel carum idola desint,*  
*de ipsis vitijs honorem venari p̄cipiat. O*  
*superbia intolerabilis. O scelus homine*  
*Christiano indignissimum; attamen ( Prō*  
*dolor ) frequentissimum; ignominia luen-*  
*dum æterna.*

Altera differentia est, ratione altitudinis. *SEXTO.*  
Dæmonis enim mons, excelsus est valde; *Christus*  
*moderata:*  
Christi moderatè. Nihil enim moderatum  
suadet Sathan. Nihil immoderatum, Chri- *Sathan ex-*  
flus Iesus. Dicit quidem vterque ad excel- *tremus sida-*  
sa; sed Dæmon ad excelsa valde; ideo p̄- *der.*  
rupta: ut volens quis, plus sapere, quam  
oportet, opprimatur à gloria: At Christus  
ad excelsa, humilia dicit. ( nouit enim omi-  
nipotens, contraria adunare) ut possit de suis  
apud Patrem gloriari; & dicere; *Confiteor tibi. Mat. 11.25.*

Pater

Pater cœli & terræ; quia abscondisti hæc, à sapientibus & prudentibus; & reuelasti eam parvulis. Quorum tamen parvulorum singuli, plura & altiora sapiebant, quam sapientes huius mundi, simul conglobati omnes. Denique Sathan excelsa petit, sed mundana & carnalia: Christus diuina & cœlestia.

**SEPTI-**  
**MO. Chri-**  
**stus bona**  
**cœlesti. i. Sæ-**  
**than terre-**  
**namōstrat.**  
**Matt. 4.8.**

**NOTA.**

Id ipsum porro, magisque patet, in montibus istis Euangelicis, estque res notata dignissima. Quid enim ostendit Sathan, Christo, in monte suo? Omnia regna mundi et gloriam eorum, ait Euangelista. Quid vero Christus discipulis? ET TRANFIGVRATVS EST ANTE EOS, inquit idem: id est, ostendit illis, particulam quandam glorie cœlestis. Quanta & quam insignis differential Demonstrat Sathan voluptates bestiales, opes terrenas, honores fallaces, omniaque fugitiua, & ostendit in monte acuminato, difficillimum & pericolosum habente aditum; & ostendit ratum penè omnibus. Paucissimis enim ea conceduntur, idque ad brevissimum tempus. Christus vero ostendit, voluptates homine dignas, & diuitias cœlestes; honores veros; omniaque hæc æternæ, & nunquam intermoritura. Et ostendit in monte ameno, facilem habente aditum. Et quod ostendit, dat certissimo. Nihilominus, quem, putatis, horum duorum, plures habere asseclas? Quot sunt, quæso, fueruntue

runtue millium millia, qui ob voluptates, o-  
pes, honores, & dignitates istas terrenas, tam  
seculare, quam Ecclesiastica, per fas nefas-  
tue, aucupandas, & procurandas, vixque a-  
quisitas, imo nec habitas quidem, se & mul-  
tos secum in inferni nouissima ac profun-  
dissima præcipites dederunt? Imo una cum  
anima, & corpus perdidierunt.

Vis, ex Scriptura sacra, talium euentia? A- *Exempla*  
liquot saltem, ex singulis capitibus, accipe, *terrifica,*  
*Amnon* filio Dauid, concupiscentia carnis *qui corpus*  
ardenti in fororem suam, concessit Sathan, *cum anima*  
Deo permittente, *Thamar*, quam *præualens* *perdiderunt.*  
*viribus* oppresit; statimque codem Dæmone *z. Reg. 13.*  
instigante, tam *exosam* *eam* *habuit* *Amnon*, o- *1. Amnon*  
dio magno nimis, ut illam, per puerum, è cubi- *ob luxuriam.*  
culo ejciendam, curaret. Quam etiam ob  
causam, paulo post, Amnon temulentus, à *Ibid. c. 29.*  
fratre suo Absalone interemptus, *corpus* &  
animam simul perdidit. Quam dira, in du-  
ro & pestilenti hoc monte, spectacula! Quid  
dicā de senibus illis apud Danielem, eadem *Dan. 13.*  
scabie infectis, qui ne potiti quidem, præda *2. Senes, ob*  
desiderata, lapidibus obruti feedè perierunt? *candem.*  
Quid de ipso Absalone ambitionis malo *3. Absalon.*  
oppresso; eiusque fido consiliario, Achito- *ob ambitio-*  
phel, ingenij acumine inflato? Nostis, il- *nem.*  
lum quidem, vix degustata imperij, (quod *3. Reg. 17.*  
adeo appetit, vt eo nomine scelestas patri  
suo manus inferre voluerit,) dulcedine; tri-  
bus

*4. Architophel ob desperationē.  
Esth. 7.9.*

*5. Aman ob superbiam.  
6. Iudas ob auaritiam.*

bus lanceis per cor transuerberatum fuisse. Architophel vero nefarias manus sibi meti ipsi intulisse, restiq; vitam finiuisse, nō ignoratis. Dignum, vtriusq; pro tali labore præmium. Nō absimile est, illud superbi Aman exemplum; cuius odium in Iudeos, adorationisq; libido, patibulo quinquaginta cibitorum, quod ipse Mardochæo parauerat, castigata fuit. Avaritia vero Iuda Iscariotis, ne in usum quidem suū suorumque collata, misera, quam tantopere desiderabat pecunia nōne proprio suspendio sopita fuit? Et quod deflendum magis, forte omnes, quos enumerauimus, & alij, istis similes, innumeris, vna cum corpore, animas quoq; orco deuouerunt; & Diabolo, æternum cruciandi, traditi sunt. Quanta cæxitas! quanta sui obliuio! quanta vesania! neq; diuinis eloqujs neque ratione; neque experientia, totque exemplis terribilissimis, ab impio suo cōsilio, dimoueri velle! Dicit Iesus, ad monte virtutum amœnissimum; ostendit gloriam cœlestem præstantissimā; Dat etiam in hac vita, gustum eius situissimū; pollicetur denique, qui non mentitur, Deus, præmium amplissimū, iucundissimum, perpetuum; quā vero sunt pauci, qui his attendunt, mouentur, delectantur? Ē contraria, prædo animalium nostrarum, demonstrat terrena, ficticia & caeca bona; quā tamen, nec sunt ipsius, nec

*Compendi-  
um dico-  
rum, quo  
timor in-  
cutitur.*

*NOTA.*

ca

ea dare cuipiā, nisi conniuente Deo, potest;  
nec dat in numeris: Et si dat, breuissimo hęc  
durant tempore: Nihilominus, quōt sunt,  
queſo, myriades hominum, qui ad hoc aureū *Apoc. 19.3.*  
*poculum, in manu Sathanæ, & meretricis eius*  
positū, accurrunt: imo irruunt, ut ex eo po-  
tentur? Sed meminerint, quicunque sunt e-  
iusmodi, venturum diem, quando præcipiet  
Deus Angelis: *Reddite illi, sicut ipsa reddidit Apoc. 18.6.*  
*vobis, & duplicate duplicita, secundū opera eius.*  
*Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tan-*  
*tum date ei tormentum & lucrum. Tantum, in-*  
quam, non secundum qualitatem, vel quan-  
titatē, sed iuxta proportionem: Ut qui plu-  
res & maiores haustus, ex hoc venenato hau-  
sit calice; plura etiam & crudeliora, referat  
tormentorū genera, duratura in secula se. *Apoc. 17.4.*  
*culorum. Digna sanè & iustissima retributio,*  
ijs illata, qui mendaci citius dæmoni, quam  
veraci Christo fidem adhibere, & scelestissi-  
mæ potius suggestioni, quam sanctissimæ  
admonitioni, obsecundare maluerunt.  
Nonne in utroque Euangeliō, utriusque  
vides consilia? Quid enim suadet in mon-  
te Diaboli Diabolus? Idololatriam turpis-  
simam. Quid in monte Christi Christus?  
Humilitatem sanctissimam; nempe, visam  
gloriam abscondere. Confer hæc inter se;  
& vide, quid eorum latitet in te.

At

*Omnis peccantes, idololatrica sunt, modis variis.*

*Col. 3. 5.*

At ego, inquis, idololatra non sum. Faxit Deus. Sed quot reperiuntur, qui pro talibus se non reputant, & sunt nihilominus suo & scriptura loquendi modo? Primo, eiusmodi sunt omnes haeretici, qui idolum capitum sui adorant vniuersi. Deinde auari, & ventri dediti, teste Apostolo. Denique omnes in peccato mortali constituti, qui inuolutè id agunt. Quot vero, etiam clare & expressè dæmonem inuocant? ut malefici & stryges. Quot qui tacite id faciunt? ut superflitosi & Astrologi iudicarij. Quis enim ab hoc vitio, istos excusabit? Nemo equidem; qui & artes eorum, & Ecclesiæ prohibitionem nouit. Postremi sunt, qui, siue ab his, siue ab illis, consilia & auxilia petunt; quorum infinitus est numerus, infinitis refertus execusationibus; quæ ad iacundiam prouocat Dæm. Adeoque id visitatum, ut, & dicta illorum, adagijs locum dederint. Damnum subiijisti (siunt isti) consule Astrologum. Affligeris: Oppone Dæmoni, Dæmonem. O voces, non Christiano tantum, sed vel homine ipso indignissimæ! à quibus etiam, ipsi prudentes Gentilium abstinuerunt. Ecquid, inquis, faciam; si veneficarum opera, aut duta vxore, frigidus factus sum, aut alijs ingentib. damnis afflictus? Nec vero defunt, qui eadem arte, id à me depellere possint?

*Nostra.*

Quid facias; queris? Reminiscere nominis tui,

*Obiectio eorum celebris dissoluitur.*

tui, & decebit te. Christianus es; Christum igitur; non inimicum Christi inuoca. Iam feci: aīs & aliorum me commendauī orationibus, nihilominus liberatus non sum. Vnā, ē tribus, causam subesse, reor. Vel quia prius, ad artes illicitas, quam ad Iesum, te cōtulisti tuum. O quam id frequens! Vel quia cum Deo tuo, non ira, vt par erat, te gessisti. Vtusne es remedijs Christianis? Sacramen-  
tis, inquam, & rebus sacramentalibus? Con-  
fessusne es serio, integrē, & cum dolore pec-  
cata tua; quaē talium, causa solent esse præci-  
pua? Si non fecisti, fac obsecro, magna cum  
fiducia diuinæ misericordiæ. Si fecisti; nec  
quidquam profecisti; visitationem hanc es-  
se diuinam, reputa, siue castigantis peccata  
ta antiqua; siue præmuntentis te, ne com-  
mittas noua: gratoque suscipe animo; & fer  
patiēter. Non abnuo, quin signa, si qua ho-  
sti, incantatorum amoueas: sed ne ad id,  
noua Dæmonum utaris inuocatione, id ve-  
ro diuinæ prohibent litteræ, & ratio ipsa;  
proinde & ego. At ego, inquis, non dæmo-  
nem, sed Deū pulchris inuoco orationibus:  
idque ipsum, optimo fine facio; proximo,  
vt opem feram, meo. Nouimus has vestras  
execrandas deprecationes, aut characteri-  
bus, aut alijs superstitionibus refertas. Abre-  
nūcia pacto, quod est in ijs, siue expreſsum,  
siue inuolutum ac implicitum cum Dæmo-  
ne; &

*Causa cuius  
quidam à  
Beneficiis  
non liberā-  
tur & re-  
media.*

*Pactum  
inuolutum  
quomodo  
tollendum.*

*Tentio  
nunquam  
ex malo bo  
na facit.*

*Teste Apost.* ne ; & aspicis negotium tibi minimè succel-  
furum. Verum isthac singularia, à confessio-  
rijs sunt petenda. Ad rectam intentionem,

alias respondi. Nunquam vilum opus no-  
strum, ea ita condecorari posse, vt ex re ma-  
la, bonam; ex mendacio, faciat virtutem. Id  
adeo verum est; vt Apostolus, blasphemiaz

loco reputet; dicere, *Faciamus mala, vt reni-  
ani bona.* Graue verbum : & cum ab alijs,

*Contra  
pseudopolit.* tum vero à Pseudopoliticis ponderandum  
valde. Ij enim, dum alium politice; alium

Ecclesiaz ( quasi vero Ecclesia Christi, non  
sit quædam, imo omnium præstantissima,  
polita ) finem sibi statuerunt; quibus non  
malis artibus hanc deprimunt, vt illam sta-  
biliant ? Sed fidelium, vñus est finis, ipse  
Christus; qui voluntatem suam nobis, per  
sponsam suam manifestat. Hinc ergo, qui-  
cunque finis, subordinatus non est, adul-  
terinus est, Christianus non est. quanto  
magis peruersus erit, cum etiam peruersis  
vtetur medijs?

*IV. MEM.  
BRVM.  
Remedia  
continet.* Ad ultimum venio : & quid factò sit o-  
pus , vt Christi montem condescendamus,  
suggero breuiter : Utque id commodius  
præstem, thema propositū, iterum, iterum-  
querepeto, ac spiritualiter interpretor.

*I. Omnia  
relinquere  
Tribus  
modis.* ET POST DIES SEX. Primum, quod  
hicce notatur verbis, est. Illum, videlicet, qui  
cum Christo in monte esse cupit ; omnia,  
qua

Quæ sex dierum spatio, à Deo condita crea-  
taque sunt, iubente Deo, relinquere oportet.  
Quo vero id iubet Deus? Primo præ-  
cipit, quidquid ex omnibus rebus conditis;  
contra voluntatem eius placuit, totum id ut  
dimittamus, abominemur, conculcemus.  
Quid æquè et equum, quam arma, quibus be-  
nignissimum Patrem offendis, abijcere? Se-  
cundo, quidquid apud nos est alienum, in-  
vito Domino, linquendum, vel restituendū  
potius erit vniuersum. Danda vero est  
opera; ut tu ipse id præstes: non (ut pleriq;  
faciunt) successoribus tuis exequendum  
committas. Quid? Visti, ut alij diligentio-  
res sint, quam tu, in tuis tractandis re-  
bus? O quam id multos decepit! ô quātum  
id mali; quod tribus omnino nocet! proxi-  
mo, qui iniuria est affectus; tibi, qui pœnas  
dilatae restitutionis lues, hæredi tuo, quæ  
peccatis inuoluis tuis. Quare dum tempus  
habes, tu ipse, tu ipse, inquam, tuis restituas  
manibus; ne sero medicina paretur. Ter-  
tio, cuncta quæ etiam iustè possidemus, in  
animi nostri præparatione, ita sunt dimittenda;  
ut si constaret, velle Deum, ut rei-  
psa etiam, deseramus vniuersa, quæ habe-  
mus, presto simus, ad exequendam diuinam  
eius voluntatem. Talis fuit Abraham, qui  
postquam audiret à Deo: Egressere de domo tua, Gen. xi. 30  
de cognatione tua, de domo Patris tui; sta-  
tim reliquit omnia, Egressus est, sicut præ-  
cepit.

*Matt. 5.3.* ceperat ei Dominus. Tales omnes, qui placuerunt & placent Deo; Multo magis autem id in nouo Testamento est necessarium, vbi à fundatore eius dictum est: *Beati pauperes spiritu.* quibus verbis hoc ipsum nobis commendatur; omnibus. Hęc est prima, in montem Christi ascendentium conditio. Altera sequitur, cum dicitur.

*Poenitentia agere.* Assumpsit IESVS PETRUM. Speculum poenitentiae. Non enim satis est relinquere, omnia ijs quibus dictum est modis; sed requiritur insuper, vt & assumi te patiaris à Iesu, internè te ad poenitentiam trahente; & in poenitentia imiteris Petrum: cui non sufficiebat reliquisse, & negationes illas suas, & societatem malam; sed egressus foras fleuit a marie; ainarē de commissō peccato dolendo, & fletu quoquo modo pro culpa satisfaciendo. Idem tibi faciēdum est; & addenda confessio; quam Petrus ad cor Iesu fecit, quando conuersus Dominus respexit illum; tu porro fac ad aures sacerdotis, sicut tibi, idem praecepit Dñs, dans illi te absoluendi potestatē. Porro

*g. Theologi-  
cas isti  
tus proch-  
rato.* ET IACOBVM ET IOANNEM FRA-  
TREM EIVS adiunxit Petro, vt tibi tres il-  
las virtutes de quibus differimus, cōmen-  
daret. fidem, videlicet, spem & charitatem:  
sine quibus nemo unquam placere potest  
Christo. Fidem igitur habeas, credendo,  
non solum omnibus quę docet Ecclesia, sed  
etiam

*Math. 26.  
75.*

*Luc. 22. 61.*

etiam Christum Iesum, & posse & velle tibi  
dimittere peccata, data ad id Sacerdotibus  
potestate, spe vero optima praeditus eris, illū  
id etiam re ipsa expleturum, dummodo tu,  
quod à te requirit, expreas. Explebis autem,  
si dictis charitatem adiunxeris, Fietq; quod  
subiungit.

ET D V X I T E O S . Nam & te quoque  
ducet & deducet.

I N M O N T E M sanctum suum. Sic enim 4. In monte  
montem hunc D. Petrus vocat ; montem, cum Christo  
inquam, Thabor id est purum & electum, sto manere.  
vt in posterum iam non in confessionibus, e- Psal. 42. 3.  
brietatibus, cubilibus, impudicitiis, emulatiōne, 2. Pet. 1. 18.  
sed in sanctitate, sobrietate, castitate, chari- Rom. 13. 13.  
tate, & alijs virtutibus purus viuas, sisq; ex  
electorum numero, quo nihil excellentius  
homini dari potest. Ascēdes enim in mon-  
tem.

E X C E L S U M SEORSUM. excelsa hu-  
militer contemplando, tecumque seorsum  
habitando.

Quod vt assequare commodius, quod o- Conclusio  
lim Moyses suis Iudeis, idem ego spirituali- ex conside-  
ter tib facio, ò gens Christiana. Sicut enim ratione mō-  
ille posuit benedictiones quidem in monte sis Moysi.  
Garzim; maledictiones vero in monte He- Es summa  
bal. Maledictiones sanè, quę legentem eas in dictorum.  
stuporem vertere possint, ita ego pono ante oculos mētis tuę, benedictiones quidem Deut. 27.  
& 28. cap.

N 3 in

in monte Christi Iesu, maledictiones vero in monte Diaboli; tanto terribiliores, quam illa Moysi; quanto & spiritualiores & in æternum permansuras. Si enim neglexeris du-  
ctorem tuum Iesum & Angelos eius, humili-  
lia, moderata, sancte tibi suadentem, dona  
copiosissima, spiritualia & cœlestia tibi pro-  
mittentem, & veraciter dantem; in itinere  
hoc, ne deficias amanter te subleuantem, &  
si cadere volueris, manum suam tibi suppo-  
nentem; si his abiectis gratijs, secutus fueris  
Diabolum, & Angelos, satellitesque ipsius,  
in mótem asperum & turpem te trahentem,  
terrena ac caduca bona ostendentem; & ne  
hæc quidem dantem, aut ad breuissimum  
tempus concedentem, mendacijs mentem  
tuam implentem: (sæpius enim expertus es  
multa tibi in mente & phantasia tua pro-  
mitte fuisse, quorum spes te omnino fecel-  
lit,) In pudica furiosa, impia, nefaria sugge-  
rentem; si, inquam, contempto Iesu, inimi-  
co illius obedire volueris, maledictus & cœ-  
cus eris in intellectu, ut *palpes in meridie*, &  
non dirigas vias tuas; maledictus eris in vo-  
luntate, ad quævis pessima prona, & vocan-  
te *amarum, dulce*; & *dulce amarum*. maledic-  
tus in memoria, ne, quid salutiferum, sed  
sæculista quæque cogites ac mediteris semper;  
maledictus in affectibus animi tu, quibus  
cum frænum laxaueris, moderari eos non  
pote-

*Maledicio  
et impiorum*

poteris: maledictus in ipso corporē, cuius  
imperio seruies, & multis illud afficies malis  
morbisque: Maledictis in filijs & posteris,  
quorum post vnam vel alteram progeniem,  
ne memoria quidem remansabit; illorū præ-  
fertim, qui ex iniustè partis creuerunt. ma-  
ledictus denique eris omnibus illis, quæ ibi  
leguntur maledictionibus, si nō in hac, cer-  
tè in illa vita perenniter, & terribilis ac  
crudelius, quam non dici modo, sed & cogi-  
tari possit perficiendis. Tunc temporis enim  
adimplebitur perfectè, quod de móte hoc,  
& quo quis in illo cōmorante, prædixit Deus  
per Pròphetam dicens: *Ecce ego ad te mons Isa. 31.25.  
pestifer, ait Dominus.* Vere pestifer, qui non  
scipium solum, sed & alios exemplo suo pes-  
fimo, varijsque inficit modis. ideo subiun-  
git: *qui corrumpis vniuersam terram, & exten-*  
*dam manum meam super te, manu dura-*  
*m & acerbam nimis; & euoluam te à petris,*  
*id est, omnes excusationes tuas, quibus pec-*  
*cata tua, tanquam in cauernis petrè, abscondere conabar, euoluam, & palam faciem*  
*omnibus bonis & malis, amicis & inimicis,*  
*& dabo te in montem combustionis, qui semper*  
ardebit; & neque extinguetur, neque  
comburetur vñquam. Facite,  
vt absit id ab omni-  
bus vobis.

MONS  
PERSO-  
NÆ.  
DICTA.  
FACTA.

*Alterara-  
tio, cur hoc  
Euang.le-  
gatur.*

*Deut. 27.  
& 28. cap.*

## CONCIO II. FIDES.

S I vna illa , quam in prima excussumus concione , ratio ; sufficiens est ad persuadendum recte iudicanti, apte & congrue Euangelium hoc , die hodierna nobis ad legendum proponi; quanto magis, si alteram eamq; potiorem adiungamus, ad demirandam & laudandam diuinam prouidentiam, incitare nos poterimus dilectissimi ? Pulchrum fuit intueri, quomodo mater nostra imitata magnum Moysen ( vel Deum potius) collocatè in duobus montibus, hinc quidem benedictiones ; illinc vero maledictiones : ipsa quoque nobis ob oculos posuit, & montem Christi Domini refertum benedictionibus, vt ad eum nos inuitaret; & motem Sathanæ maledictionibus plenum, vt nos ab illo absterreret: quanto vero iudicidius erit, aspicere in monte Domini Iesu, omnes sex, quæ ibi reperiuntur , personas, quadragesimale expletentes ieunium ? Nonne nobis similem aggressis abstinentiam, & ad confirmandam fidem Catholicam , & ad peragendum opus inchoatum, summæ tum consolationi, tum incitamenti loco, id esse debet?

Cate-

Cæterum non hoc solum, verum & alia,  
immo mons ipse totus Christi Iesu, in vera fi-  
de nos confortare, ac Ecclesiam Christi,  
digo quasi extento, demonstrare nobis  
poterit euidenter. Id igitur agamus: & tum  
montem ipsum; tum personas, quæ in ipso  
visuntur; tum verba quæ ibi audiuntur; tum  
opera, quæ peraguntur ex pendentes, iſpon-  
sam Iesu agnoscamus, sequamur, amplecta-  
mur. Da Christe Iesu, ita id faciamus, ut. &  
ii qui aberrarunt, ad eam reuertantur, & nos  
qui per tuam gratiam in ea constituti sumus  
iuste & pie viuentes, ex hoc ad illum peren-  
niter mansurum montem, feliciter perue-  
niamus.

*Propo. Quæ  
dripartita.*

Qui contentiose ac pertinaciter inficiari *I. PARS.*  
velit, per montem designari Ecclesiam; ne-  
scio qua ratione Christianus dici queat; cū  
tam illustria sint, huius rei, in scripturæ te-  
stimonia, quam quæ maxime. Omnia recen-  
sere & longum nimis, & minus est necessa-  
rium. Proinde singula tantum, ex singulis *I. A Pro-  
phetis.*  
diuinis instrumentis, adferamus monumē-  
ta. Veteris testamenti est illud. *Et erit in no-*  
*uisimis diebus præparatus mons, domus Domi-*  
*ni, in vertice montium, & eleuabitur super col-*  
*les, & fluent ad eum omnes gentes. Huic Isaiae*  
*prædictioni, totidem fere verbis Micheas*  
*subscribit. Porro per nouissimos dies incli-*  
*ligi tempus Euangeli, affirmant duo Apo-*

*N S floli.*

stoli. Sed & iistacentibus, res id ipsum loquitur ipsa.

*a. à Christo  
omo ex cruce  
scati.  
Mat. 5.14.*

In novo celebre est illud ipsius Christi, ubi non monte modo, sed & ciuitati supra montem collocatę Ecclesiam comparat suā illis verbis: *non potest ciuitas abscondi, supra montem posita.* Dices de Apostolis id Christum intelligere. Recete sane. Nonne Apostoli membra sunt Ecclesiæ? Cæterum non de Apostolis modo, sed etiam de omnibus Christi fidelibus, hæc accipi, clarum est ex ipso contextu sermonis. Cunctis enim illud competit, quod ibidem habetur. *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum qui in cælis est.* Mons igitur est Ecclesia, constans ex Apostolis, eorumque successoribus, ex pastoribus, & doctoribus, ex aliis desilique Christi fidelibus, tam sacri quam ciuilis ordinis, vniuersis: qui omnes cum iusta sint conspicui, ut in oculos plane in currant omnium, ipsam Ecclesiam visibilem esse necesse est. Ideoque rebus adeo patientibus, ut est mons, & ciuitas in monte posita, comparatur. Egimus hac de reali quando, nec dicta sunt repetenda, sed addenda, quæ & testimonia prolatæ, & Euangeliū hodiernū nobis porrigit: ne occasiones bene merendi de matre nostra omisisse videantur. Ut vero hæc exactius fiant, scopum, quem

*Ideo est vi-  
sibilis. &  
quomodo.*

*Dom. 4.  
post Epiph.  
Gen. 2.*

quem in hoc suo errore stabiliēdo , ministri & coriphæi hæreticorum , sibi constituant, aperiamus. Is vero non est alius, præter illū quem fures & latrones ( quibus nominibus Christus eiusmodi farinæ homines insigni- re cōsuevit ) omnesq; scelerati homines, p̄fixum sibi habent. Sicut n. isti, ita & illi nil maiori odio prosequuntur, & è medio sublatum volunt, quā iudices, qui malefacta eorum prodere, & in ea animaduertere queāt. Propterea ministri, videntes se decreto illo supremi iudicis Christi Iesu ( Dic Ecclesia si autem Ecclesiam non audierit, si tibi sicut Ethnicius & publicanus ) vehementer constringi. Et scientes certo, si ad legitimū iudicē res delata, & ab illo examinata fuerit, se omnino causa casuorū, quid fecere? Id nimicū : Principio contra totam scripturam, duplēm in terris excogitarunt Ecclesiam. Deinde vñā carum soli Deo cognitam; alteram vero patere oculis hominū: assuerarunt. Quā, Caluinus, hanc quidem externam Ecclesiā vocat, illam vero ad electos Dei tantum pertinere nugatur. Postremo istas inter eas ponunt differentias, ut inuisibilem quidē, puram, veram, synceramq; Christi congregatiōnem : humanis vero obtutib. conspicuā, impuram, ac tam erroribus obnoxiam, quā superstitionibus esse refertam, autument.

Quorsum isthæc, inquis ? Horum, vt si Quorsum hoc  
inter figurā.

Scopum ha-  
reticorum  
id negan-  
tium.

N O T A .  
10.10.8.

Duplex ha-  
reticū Ec-  
clesia.

Phil. in con-

cess. Augu-

4.7. Calu-

lib.4. inst.

c. 1. fed. 28.

inter nos & illos , siue de articulo fidei, siue de interpretatione scripturæ grauis aliqua, & à qua salus pendet animæ exoriatur controuersia, tu quo prouoces & quomodo mandato illi Christi, *Dic Ecclesiæ*, satisfasias, penitus nō reperias. Quo enim appellabis? Num ad illam , quæ electorum est? At huic quomodo dices, quam nec intueri quidem, nec quisnam mortalium in ea reperiatur, scire vales? An vero externam (vt Caluini vtar verbo) compellabis? Sed audies statim à Ministro ; quid me eo trahis , vbi errores & superstitiones vigent? putas me tam insanum fore, qui hominibus erroribus obnoxiiſ credam ac salutem comittam meam?

*Quam ve-  
sanum.*

*Quod du-  
pliciter in  
caput eorum  
recedit.*

Absit id à me, ait Minister. O vtinam absit, aio ego, ab hominibus, quos seducitis tanta insanía, in quantam vos, illos präcipitastis, vt n̄ male sanis & mille obscuris erroribus, vestris capitibus, fidem , sicut diuinis oraculis, adhibeant. Miserabile sane genus hominū, quod tam patentes vestras non agnoscit imposturas. Quam miror & laudo diuinam Christi Iesu prouidentiam & sapientiam, qui iusto suo iudicio suo effecit, vt astutuli isti in id incidenter, ipsi verissime, quod falsissime Ecclesiæ Catholice impingebant. In illa, inquam, verbâ salvatoris, contra Phariseos prolatâ; irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram Hypocritæ. Vere enim

*Mat. 15. 6.*

*I.*

enim sunt hypocritæ, qui quod ipsis competit, in Ecclesiam torquent callide. Vere propter prauas suas, quas audistis, tradiciones, nullis scripturæ testimoniis innixis, irritum fecerunt mandatum Christi Dei, præcipientis, **DIC ECCLESIAE.** Cui enī dicam, cum quo me conuertam non inueniam? Ita isti pessimis suis inuentionibus, omnem mihi aditum ad Ecclesiam præcluserunt.

Et vero, respondeant mihi, quæso Mini-  
stri, ad quam vtique harum duarum Eccle-  
siarum suos ipsi inducunt alumnos? Si ad  
illam electorum se illos ducere afferunt, nu-  
gatores sunt: qui enim ad illam ducent alios  
qui ignorant, an ipsi in ea sint, (imo vbinam  
illa in terris reperiatur) cum id Soli tantum  
Deo esse cognitum affirment? Sin vero ad  
externam illam & visibilem inducere &  
iunt alios, ad erroribus igitur & superstitionib-  
us refertam congregationem, se homi-  
nes Christi sanguine redemptos pertrahere  
fateantur necesse est. Quantum vero id sce-  
leris, quis Sapiens non intelligit hæc? Quis  
cordatus à tam crassis fraudibus pedem non  
retrahet suum? Facite obsecro, & agnoscite  
veritatem.

Veritas autem Catholicæ & Romanæ  
Ecclesiæ hæc est. Primo, non duas, sed unam  
tautum Christi in terris esse congregatio-  
nem.

*Veritates  
Catholicæ.  
1. Una esse  
Ecclesiæ.*

2. *Aspectus  
bilem.*

3. *Puram  
Ecclesiam.*

*Eph 5.27.*

*Trias an-  
tiquitatis eius  
capita*

*N O T A.*

4. *Judican-  
tem sine er-  
rere.*

nem. Secundo, hanc ipsam Ecclesiam omnib. qui oculos mentis & rationis clausos non habent, esse conspicuam ac patentem, Tertio, eam ipsam aspectabilem Ecclesiam, neq; deficere aliquando. neq; tā in ijs, qua nobis credēa proponit, errare: quā in illis, quę facienda docet, maculari vlo modo possit. Nā vt inquit Apostolus. Exhibuit Christus Iesus ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentē maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed n̄ sit sancta & immaculata: non quidem in singularis personis, ut inique peruerse hæc verba torquent hæretici: sed tum in verbo Dei, q̄ purum habet: tum in Sacramentis, quę nō solum sancta sunt, sed & sanctificant: tū deniq; in constitutionib. suis, ita est sancta & immaculata, vt nec errorem vllū docere, nec peccatum vñquam nobis præcipere possit. Q̄rto, prohitemur huic Ecclesiæ sic fūdatæ & firmatæ Deum Opt. Max. per Christū Iesum Dominū nostrū, plenā dedisse facultatē: non solū iudicandi, de omnib. quæstionib. & cōtrouersiis, quæcunq; circa res fidei inter quosvis homines exorirentur: sed et de his omnib. absq; vlo errore, id quod rectum est, decernendi & sententiam pronuntiandi. Hæ clause nostra in Ecclesia sanctorum. Hæ consolatio maxima Catholiconrum. Hæ glorificatio Christi Iesu, qui cū esset petra ipse, in tā firma petra collocauit pedes

pedes nostros, ne in hæresum prolabamur monstrar. Itaq; ad hoc supremū, nullisq; errorib. fidei obnoxii tribunal, sicut olim maiores nostri, sancti & antiqui Patres ac Doctores, ab ipso Euangelii exordio: ita & nos veri & legitimū corū filii, nunc omnes, qui buscum nobis aliqua de rebus fidei cōtraversia est, per trahimus, nosq; ipsos ad illud vocari gratum & charū habemus. Citarunt illi olim ad hoc Tribunal Cherintum, Ebionē, Arrium, Sabellium, Macedoniū, Nestorium & alias pestes Orientales: prouocamus & nos, nunc quoq; ad hoc ipsum iudicium, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, Suencfeldium, Gentilem, Seruetū, & aseclas eorū vniuersos, & duci nos ad illud non solū patimur, sed et vltro citroq; scripta, dicta, facta; & nostra ab illo diiudicari petimus. Qui id facit, verus est Christi, ac sponsæ ejus Ecclesiæ alumnus. Qui autē his contumaciter resistit; Dei ordinationi resistit. Porro qnam sit hoc tribunal, non est hic differendi campus. Sicut nec omnium, quæ adduximus demonstratio. Hæc n, ideo in medium protulimus, vt & Catholicorum hac in parte sententia: & hæreticorum appareat astutia, qui montem deprimere Ecclesiæ, & lucernam supra candelabrum positam, sub modio nituntur abscondere.

Quare & Euangelio hodierno, & testimoniis allatis contenti, hæc inde, p veritate, affu-

*Huc igitur  
omnes eō  
trahimus  
eō trahi.  
mur.*

NOTA.

*Rom. 13.24*

*Probatur  
Ecclesiā  
apud nos eō  
affū se, quia.*

*Math. 5.15*

assumimus argumenta: quibus demonstra-  
mus, apud nos Ecclesiam Christi, non alibi.  
Primo, montem esse Ecclesiam, & ex Pro-  
phetis, ipsoque Christo clare, & ex historia  
hodierna typice constat. Porro montem es-  
se visibilem, quis negauerit? Visibilis igitur  
erit Ecclesia: quod nos affirmamus: haereti-  
ci negant. Quid? quod Isaia hunc montem

*1. hic est  
mons.*

*2. hic do-  
mvs Domi-  
ni.*

*3. Tim. 3.15* scribo tibi, inquit, ut scias quomodo oporteat  
in domo Dei conuersari, quae est Ecclesia Dei vi-  
ui, columnam & firmamentum veritatis. Quid  
potuit dici, vel clarius ad dilucidandum I-  
saiam, vel firmius ad comprobandum Ec-  
clesiam errare non posse? Verum tam exi-  
mium testimonium, strictim non est pre-  
tergundum, ideo de illo alias plura, nunc  
sufficiat, & quod diximus, & scripturam per  
scripturam interpretando, montem esse Ec-  
clesiam. Mons enim iste, est mons domus  
Domini, teste Isaia, sed teste Paulo, domus  
Domini est Ecclesia. Ecclesia igitur mons,  
ideoque conspicua erit.

*4. hic mons  
in vertice  
montium.* Quod si vero omnis mons aspectabilis est,  
quanto magis mons in vertice montium, & su-  
per colles elevatus (ut Ecclesiam Propheta  
vocat) visibilis erit? Nec hoc solum, sed ipse  
Christus insuper Ecclesiam suam comparat,

ciui-

civitati supra montem positæ. Quanta igitur erit claritudo civitatis exædificatæ super montem, in vertice mōtum collocata? Lamentabatur olim Propheta, de ingenti suorum Iudæorum cæcitatem, quam his describit verbis: *Palpauimus, sicut cæci, parietem,* & *quasi absque oculis attreclauimus: impeginus meridie, quasi in tenebris.* Quanto porro iustius nos conqueri oportet, de ijs, qui Christiani dici volunt, & Ecclesiam Christi in monte positam: *imo omnibus montibus & collibus superpositam, videre nolunt?* O cæcitas intolerabilis! Nunquid nō conspicuus est magis mons, quam paries? nunquid lumen Euangelij, non lucidius lucet ac splendet, quam lucebat, lucerna veteris legis? quā tamen soli in meridie lucenti comparat Isaías? quanta igitur & quā dira cæcitate percussi sunt homines isti, qui neque montem, neq; montem in vertice montium eleuatū, neq; ciuitatem ei superpositam vident? quā vero sunt impii, qui insuper ita hæc omnia ab obtutibus hominum abscondere conantur, vt Ecclesiam omnino inuisibilem esse dicant? O utinam tandem aliquando, à tam horrifica liberentur amentia.

Sed progrediamur vñterius. Quid enim de hoc monte subiungit postea Propheta? *s. Huc fliba unt omnes. Et fluent ad eum omnes gentes inquit. Quomo- gentes. do ergo inuisibilis erit Ecclesia: Si omnes gentes, non solum vident, sed et currunt ad*

O eum,

eam?imo cohortantur se inuicem, dicentes.  
Venite & ascendamus ad montem Domini. Id ve-

*6. Hic studia  
cantur gen  
ses.*

ro cū ad solam Ecclesiam Romanam, et nūc  
in Indiis, Brasilia, Iapone, Mexico fieri vi-

deamus, adhuc ne tam cæci erimus, ut cam  
pro vera Christi Ecclesia non agnoscamus?  
Omitto reliqua. Illa tria verba relinquere nō  
debeo: & Iudicabit gentes. Quid.n. aliud ius  
prædictum, quam hanc Ecclesiam, certo, vero,  
& neq; superstitioni vlli obnoxio iudicio iu-

*Mat. 18.17.* dicaturam omnes gentes? Quam potesta-

tem datam Ecclesiæ à Christo Deo illis ver-

bis: Dic Ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit,

sit tibi sicut ethnicus & publicanus & credimus

& profitemur, & diuinam Christi liberalita-

tem ac prouidentiā laudare cessamus nun-

quam. O vtinam idem etiam alii nobiscum

præstare velint: quam eximie & animæ &

mebris oculis consuluerent suis.

*7. Hic ascen  
sus difficultas  
vertex ame  
nus.*

Ex Euangelio vnum addo. Montē Tha-  
bor in quo hæc Christi transfiguratio facta  
est, alcensu quidē aliquantulū diffciliorē:  
at vero in cacumine planū & amcenū iucū-  
dumq; fuisse testantur Historici: Talis est  
Ecclesia Christi Domini. Nā in ascensu qui-  
dem diffcilior apparet. Cū.n.ea credat, quæ  
omnem creatū luperant intellectum oport-  
et ut qui illi obedīt, in captiuitatem redigat  
omnē intellectum in obsequiū Christi, ut eos docet  
*Cor. 10.5.* apostolus. At vero postquā semel conser-  
deris.

deris, mirandam sane quietem, iucunditatem, facilitatemq; ad credendum omnibus quæ proponuntur hic reperies: secus sit in hæresi & mōte Diaboli, qui cū sit Cacuminatus & lubricus ideo nec eos qui ex hæreticis sunt acutuli in eadē opinione diu persistere, nec alios quietem conscientię permittit habere. Probat id experientia, cū in tota vita, tū in agone. Tu qui à Ministris seductus es, noli quæso, expectare terminum illū: ne sicut alios multos: ita te quoq; spes fallat tua, sed iam, dum tempus, sanitatem, viresq; & animi & corporis habes, ab obscura illa (ipsorum mōtū iudicio) erronca, ac superstitionib. cōtaminata Sathanæ Synagoga, ad conspicuā hanc, lucidam, sanctam, nullis errorib. nullisq; superstitionib subiectam, Christi, te recipias congregationem & Ecclesiam.

Verum enim vero de mōte vniuersim di- *II. pars*  
Etum sit satis: īā ad ea, quæ in eo visuntur, & *Personæ.*  
audiuntur, trāseamus. Ac primū quidē ipsas *Omnis sex*  
intucamur personas, q̄ sex omnino sunt, in *quadragesimā*  
duas distributæ classes: quarū tres in gloria *simam ieiunant.*  
apparent, Christus videlicet, Moyses & Elias;  
tres alij in terra prostrati iacent, Petrus, Iacobus & Ioannes Christi discipuli. Omnes  
vero quotquot sunt 40. dierū ieiuniū serua-  
runt, sed diuersimode. Nā qui splēdidi sunt, *Tres gloriæ*  
modo suā naturali, totis 40. dieb. & noctib. *sa supra nat*  
nihil eibi potusq; degustarūt. Moyses qđem *turam.*  
bis: bis legē ē manib. Dei accepturus. Elias *Ex. 24. 18.*  
verō *Ex. 34. 28.*

Tres alia  
more con-  
sueto Ec-  
clesie.  
3. Reg. 19. 8  
Mat. 4. 2.

Act. 10. 41.

Clem. I. 5.  
conf. c. 13.  
Ignat. in e-  
pis. ad Phi.  
Vide Bella.  
contr. 1. lib.  
4. c. 1. rom.  
1. & alibi.  
Cat. lib. 4.  
in Ep. c. 12.  
Ject. 19. 5  
29.  
Calvinus im-  
pudentia.

vero semel. Tantūdem, quod scimus, Christus Dominus, ut ante octiduū audistis. Reliquas vero historias nostris, non est igitur, quod repetatur. Porro tres alij, licet aliter, ieunarent tñ quadragesimam. Quo teste? Tota antiquitate. Duos profero, qui manducarunt, & biberunt cum Apostolis (Magnum sanc argumentum, quod magnificat ipse D. Petrus) Hi vero testes sunt, Clemens Romanus, comes Petri & Pauli Apostolorum, & Ignatius, quem ēt matrē Dei vidisse, narrant historiæ. Horum n. vterq; assertit Apostolos quadragesimale obseruasse ieunium. Quid, quod exter canon Apostolicus, quo idipsum ēt aliis præcipitur? Duobus his sanctissimis & vetustissimis Patribus, adstipulatur omnes reliqui. In Oriente quidem Basilius, Greg. Nazianzenus, Epiphanius, Cyriillus, Chrysost. & alij: In Occidente vero, Thelephorus martyr, Ambrosius, Hieron. August. & cæteri, quorum Catalogum & verba vide alibi. Quid ad hæc hæretici? De his omnib. in angulo mudi constitutus Calvinus iudicans, loquitur [qua in parte, non in totum excusare audeo veteres, quin & superstitionis quedam semina iecerint.] & paulo post subdit [& tunc passim prævaluere] superstitione quadragesimæ obseruatio] Quanta & iudicis impudentia, & illi credentium excæatio, qui tot & innumeris aliis antiquissimis, veracissimis, sanctissimis viris postpo-

postpositis, homini nec sancto, nec veteri,  
impia virga sua censoria omnes percutienti  
fidem adhibere, eumque imitari student?  
Quid isti iudici viuorum & mortuorum Chri-  
sto Iesu in illa respondebunt die?

An vero illud dicent, & varios ieiunandi  
quadragesimam olim fuisse modos ( quorū <sup>Cauillibet</sup> reticorum  
aliquos Caluinus recenset ) & Catholicos <sup>refutantur</sup>  
nullam harum sex personarum in ea ieiunā-  
da imitari? Quæ responsio etsi ad quæstio-  
nem propositam; cur videlicet hæretici, vni  
vel alteri scriptori Neoterico, contra qua-  
dragesimam debachati, potius credant, quā  
toti sanctissimæ antiquitati, nihil plane per-  
tineat; ne tamen, vt solent, cauillentur, vel  
calumnientur potius, nos eorum præterire  
argumenta, en satisfacio. Et de continuo  
quidem quadraginta dierum ieiunio, dixi  
præterita Dominica, nempe, nec nos ligare:  
nec tamen desuisse, qui illud ita, ut Christus,  
Elias & Moyses obseruarunt. Ut magnus  
ille Simeon stylites, qui teste Theodoreto,  
viginti & octo annis, eadem illud expleuit  
ratione. De Apostolis, quæ ab hæreticis,  
vnde habeant, illos consueto Ecclesiæ mo-  
do quadragesimam non seruasse? Non a-  
liunde profecto, quam ex proprio capite:  
quod totius fidei hæreticæ norma est: huic  
quidquid placet, verum: quidquid displicet,  
falsum esse debet. O caput sine capite! Nos  
autem cū tota antiquitate & ratione, quan-

*Mos ieiunæ  
di Apostolo-  
rum.*

O 3 do le-

do legimus, siue in sacris, siue in aliis historiis, Apostolos ieunasse, festa celebrasse, in templo orasse, ac similia fecisse, credimus illos modo consueto Iudeis, haec peregrisse omnia: nisi contrarium nobis aliunde constet.

*Act. 15. 20.* Ut de abrogatione quidem abstinentiae legalis

constat ex Actis Apostol. at de tempore minime. Idcirco credimus Apostolos tota quadragesima semel tamen in die cibum sumpsisse,

*In quo nunc* quod etiam nunc seruatur penitus ubique; in Ecclesia.

*differat.* Differentia tantum est in tempore comedionis. Sub Apostolis, non & multo post, ad vesperam, nunc vero in meridiem cibus sumitur: Ut enim hoc agnoscas diuinam prouidentiam, quae ut nos muniret contra calumnias hereticorum, affirmantium nos ritus sacrae ceremonias antiquae legis in nouam inuenisse. sicut in multis aliis rebus, ita in ieunandi ratione plenius nos a lege Moysi, dissidere voluit: tamen generatim, tamen peculiariter pro ratione locorum & consuetudinum. Quia de re quia egimus ante octoduum, nunc ad alia transcamus.

*P. PARS.* Personis, verba succedunt: quae iam excutienda nobis obueniunt: nec omnia quae in monte hoc audiuntur, sed illa tamen, quae cetera lopta & a Deo Patre dicta creditur illa inquam, *HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI BENE COMPLACVI, IPSVM AVDITE.* Ea nam Christo Iesu faveat, & ad demostrandum ubi sit in terris vera ipsius Ecclesia, & ad differendam contra omnes nostri temporis hereticos ac schismaticos, pul-

*VERBA DEI  
PARS CONSIDERAT.*

chram & vberē nobis subministrabunt ma-  
teriam. Cæterum explicanda sunt ea nobis  
primum, vt iacto bono litteralis sensus fun-  
damento, optimæ res procedant cætere. Ob-  
tingit autem in primis notandum: bis quod  
scimus ex scriptura ( poterant enim etiam  
sæpius alias dici ) verba hæc è cælo audita  
fuisse, primum quidem post baptisatum *Bis dicta.*  
Christum à Ioanne in Iordanè: Altera vero  
vice, hodie in transfiguratione eiusdem Do-  
mini Iesu. Sunt autem conscripta à tribus  
prioribus Euangelistis, inter quos, sicut sic  
in dictis aliqua differentia, id tamen non  
officit: cum sensus vbiique sit idem: myste-  
ria autem, quæ in differentiis eiusmodi in-  
cludi solent, alias tractari poterunt. Nunc  
ea, quæ Matthæus habet, perpendamus.  
Nec vero putandum est ( vt quidam simili-  
cēs in Eremo arbitrati sunt) ea ore Dei pro-  
lata esse: cum Deus sicut corpore, ita ore  
careat, sed efformata sunt ex acre. Cuius rei  
typum aliquem in organis musicis habe-  
mus. Verum ipsa iam videamus.

HIC, inquit Deus Pater, Christum Ie-  
sum demonstrans. Iam enim Moyses & E-  
lias discesserant, vt ex Luca colligitur.

EST vere non metaphorice, substantia-  
liter, non figurate EST.

F I L I U S: non ut illi alli duo Moyses & *Christus fi-*  
Elias, quamvis fideles & morigeri: non filii *lme. alii si. e-*  
tamen, sed servi tantummodo erant. Hic vero *milia.*

**E**ST FILIVS, Pulchre & neuose, vt affolet, hac de re, Paulus, loquens de vno illorū, inquit: *Et Moyses quidem fidelis erat, in tota domo eius, tanquam famulus: in testimonium eorum quæ dicenda erant, Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos.* Hæc Apostolus. **F**ILIVS igitur erat, est, & erit Patri coæternus, connaturalis, consubstantialis: Proinde Lucas addidit articulum, magnæ apud Græcos emphasis, *Filius ille.*

*Et filius pro  
prius.*

**M**EVS. non ex alio quopiam natus, & à me adoptatus: sed M E V S, proprius & genuinus, à me solo procedens, & in me ab æterno & in æternum manens. Hic est igitur filius meus, inquit Deus Pater, & addit,

**D**ILECTVS: cui verbo itidem adiungit Lucas articulum, ut noris non quamuis eum dilectionem, sed eam qua nec esse, nec excogitari potest maior, intelligere, idcirco subiungit.

*Complacen-* **I**N QVO MIHI BENE COMPLA-  
*tas duplex.* C VI. quod duplicum sensum habet secundum Doctores: utrumque vt ego reor, & à Spiritu S. intentum: & egregie verbis hisce expressum. Alterum, qui summopere mihi charus acceptusque est: quæ intellectio verbo præcedenti valde quadrat: alterum, per quem placari & reconciliari mundo consti-  
tui,

tui, & propter quem omnem deponam erga genus humanum indignationem, cui sensu Græca & Hebræa plurimum fauent. Concludit Deus Pater.

IPSVM AVDITE, tum credendo omnibus, quæcumque ipse vos docuerit, etiam si credidu videatur vobis difficultia, cuiusmodi erat, quod paulo ante de morte sua prædixerat: tum exequendo quidquid vobis man- dauerit. Vno verbo, AVDITE, id est, Credite dictis, obedite præceptis.

Hæc de explanatione litteræ: iam, quod proposuimus, prosequamur. Et quidem neminem, non modo, qui sunt; sed etiam qui nominari volunt Christiani, futurum arbitror, qui negare audebit, ibi esse veram Christi fidem & Ecclesiam, ubi verba hæc sanctissima, profundissima, de cœlo lapsa, locum habent. Qui enim secus sentiret, Iudicium aut gentilem, qui illis fidem non adhibent, esse se palam profiteretur. Ceterum, à qua congregatione ea plurimi fiant, id vero in dubium vocatur, singulis ad suum cœtum illa deriuare conantibus. Sed præter Catholicos, frustra reliquos laborare, iam demonstremus, per omnes classes, tam hereticorū nostri temporis (quibus & veteres adiungam) quam schismaticorum, discurrendo.

Incipiamus autem ab ijs, qui supremi in Euangelismo haberι volunt: sunt vero su-

*Christus  
audiendus.*

*Quomodo  
inde Eccle-  
siæ cognoscatur.  
Violate-  
nim serba-  
hac.*

*Primo,  
Arianis, etc.*

premi in impietate, Seruetiani, inquā, Gentilistæ, Anabaptistæ, quibus adiungamus antiquos Cherintianos, Arrianos, Ebionitas, & omnes reliquos, qui Christum verum & naturalem filium Dei, Deum, esse negarūt. Ab istis omnibus, non tanti fieri verba ista.

*Christum  
esse Deum  
probatur.  
1. E Si Ger-  
borum.  
2. A simili  
exemplu.*

HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS,  
IN QVO MIHI BENE COMPLACVI,  
quanti nos illa æstimamus, etiam ipsi Ethni-  
ci & Iudei, re intellecta, erūt iudices. Et me-  
rito sanè, imo necessario. Sit enim persona  
aliqua grauis, de cui<sup>o</sup> veriloquio, nemo dubi-  
tat; quæ demonstrans quempiam sibi asta-  
tem; hæc ipsa, hic est Filius meus dilectus,  
proferat verba; nonne omnes id audientes,  
intelligent & credent, illum de quo id dici-  
tur, verum, legitimum, ac naturalem esse ip-  
sius filium? Hoc ipsum nos verba ista, ex o-  
re artissimi ac veracissimi Dei audientes, de  
Christo Iesu credimus. Credimus inquam,  
Iesum verum naturalemque Dei Filium es-  
se, in quo ita sibi Pater æternus complacuit,  
ut diuinam suam Essentiam, Omnipoten-  
tiam, Sapientiam, ac deniq; omne id, quod  
ad naturam diuinam pertineret, eidem fi-  
lio communicauerit. Quomodo igitur non  
erit verus Deus, qui eadem, quæ veri Dei  
sunt, habeat vniuersa? Porro cum con-  
trarium his omnibus, ij quos nominau-  
mus, & alij eis similes, hæretici sentiant, di-  
cantque

cantque Christum non esse naturalem Dei  
Filium, nec quidquam in se diuinitatis ha-  
bere, nonne tum Iudei, tum Gentiles, tum  
Mahometani ipsi censebunt, à nobis maxi-  
mi, ab illis vero minime verba illa diuina æ-  
stimari?

Quod autem ad comprobandum Di-  
uinitatem Christi attinet, multis de hoc a-  
gere nolo. Illa tantum strictim noto, quæ  
tum hæc Dei, tum illa Apostoli, citata ver-  
ba, nobis vltro offerunt. Sit primum ex  
comparatione Christi cum Moysè, quorum,  
hunc famulum tantum illum vero etiam fi-  
lium in domo Dei, fuisse asserit Apostolus.  
*3. Ex diffe-*  
*rentia Chri-*  
*sti & Moysi.*  
Quis vero hominum ignorat, eam inter fa-  
mulum & filium differentiam esse, quod hic,  
sit legitima proles, ille vero minimè? Verus  
igitur & naturalis Filius Dei erit, Christus  
Iesus. Deinde nunquid Moyses non fuit ad-  
optiuus Dei Filius? Fuit sanctè & è primis v-  
nus. Naturalis igitur Dei Filius erat Chri-  
stus, cuius respectu Moyses famulus tantum  
nuncupatur. Præterea cum inquit Aposto-  
lus, Christum Iesum esse in domo sua, quæ do-  
mus sumus nos, nonne evidenterissimè pro-  
bat, Christum esse Deum? Quis enim legit  
vnquam, vel nos dici domum alicuius crea-  
turæ, vel creaturam in nobis, tanquam in  
domo habitare? Dei solius, id est pro-  
prium. Idcirco idē alibi, inquit. Nescitis, quia  
*4. Quia*  
*Moyses ad-*  
*optiuus.*  
*5. Quia*  
*domus Chri-*  
*sti sumus*  
*nos.*  
*NOTA.*  
templo Dei, estis vos? & iterum: Vos enim estis  
templum

*2. Cor. 6.16* templum Dei Templum autem Dei, & dominus Dei, idem est. Quare cum Christus in nobis, tāquam in domo, habitare asseratur, Deus omnino erit. Validè certum est hoc argumentum.

*6. Ē Verbis  
Lucas.*

*7. Ex con-  
fessu.*

*SECVN-  
DO Violat  
hec Verba  
schismatici.*

Placent hæc, quæ diximus, omnibus reliquis, qui huius farinæ non sunt, tam hereticis, quam schismaticis, & vera esse aiunt. Verum cōtra istos, Græcos, inquam, & nostros Russos, qui in ynione Catholica non sunt, habeo ex ijsdem verbis aliquid haud leue. Quæro enim ab eis, cum inquit, Deus Pater,

**HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS**

IN

IN QVO MIHI BENE COMPLACVI, *Probatur*  
 an ita pater in filio sibi cōplacuerit, ut quid-  
*id evidēti  
quid ipse sit, omnia filio concesserit, co-solo  
dilemmate.*  
 sibi relicto, quo ab ipso distinguitur, nempe  
 paternitate; an vero non omnia, sed quā-  
 dam tantum dederit? Eligant, vtrum ve-  
 lint, semperque verum erit, verba hęc Di-  
 uina, magis nobis quam illis cordi esse, ideo-  
 que apud nos, non apud illos Ecclesiam  
 Christi reperiri. Si negabunt (quod tamen  
 non solent) omnia sua Patrem Filio contu-  
 lisse, præter paternitatem, apertissimè con-  
 cludetur, nos de his verbis Dei, melius esse  
 meritos, qui nullam aliam, præter dictam  
 exceptionem, in eis agnoscimus, quam eos  
 qui plures admittunt. Sin affirmabunt, cō-  
 cedant etiam necesse est, Patrem communi-  
 cassse etiam Filio principium actuum spirā-  
 di Spiritum sanctum, cum hoc principio *Et Spiritus*  
*non distinguatur Pater à Filio, sed sola pa-*  
*santum e-  
ternitate. Cum igitur Filius hoc non careat* *riam à Filio*  
*principio, necessum erit, Spiritum sanctum procedere.*  
 æquè à Filio, sicut à Patre, procedere. quod  
 nos asserimus, illi pernegant. Quid hoc di-  
 lemma evidenter?

Placent hęc quoque Calvinianis, Zuin- *TERTIO.*  
 gianis, & reliquis, qui idem nobiscum sen-  
 tiunt, hęreticis. At nobis displicet, tum *Solant ea*  
 Zuinglius, & alij Sacramentarij: tum vero *Et Calvi-  
 nians, Et Ca-*  
 Calvinus, qui dilecto olim discipulo & filio *Tum occa-  
 suo *Arrianis,**  
*& alios.*

suo Valentino Gentili (in quem postea, gla-  
dio Bernensium, animaduertit) cæterisque  
huic similibus, hæc verba Dei, HIC EST FI-  
LIVS MEVS DILECTVS, quæ in Euangeliō  
audimus, ad tropo trahendi, eaque non de  
naturali & consubstantiali, sed de adoptiō  
quodam ac secundum voluntatem Patris filii,  
intelligēdi ac interpretandi occasionem  
dedit maximam. Quid ni enim Gentilis id  
faceret, cum his simillima penitus verba,  
HOC EST CORPVS MÆVM, ex ore filii  
Dei emanatia præceptores suos figuris in-  
tuolentes, ac neque sanum quicquam in ijs  
relinquentes, neque de vero Christi corpo-  
re, sed de succis ac energijs nescio quibus, ea  
interpretantes, animaduertisset? O quam  
id est verum! O quam olim acerbū futu-  
rum Caluinianis! à quibus peto, in dicto  
hœ Dei Patris, quod in Euāgelio hodierno  
audimus pronomē, Hic, idem nè significet,  
quod illa frequentia, verba, FILIVS MEVS,  
idem, inquiunt. Pergo. Quid particula co-  
pulatiua EST, sumiturne verè ac realiter  
absque ylla figura? Dant. Concludo. Se-  
quuntur igitur, Christū Iesum, de quo hæc dicun-  
tur, esse verū ac naturalem Filium Dei. Con-  
cedunt totum. Quare ergo (per Deum im-  
mortalem) in totidem verbis eiusdem filii  
Dei, Iefu Christi, cū inquit, HOC EST COR-  
PVS MÆVM, idem non facitis, sed omnia per-

*Tum Ver.  
ba Christi  
peruerten-  
do omnia.*

tropos euertitis? Etenim loco pronominis,  
Hoc, vos panē ponitis, cuius h̄c nulla peni-  
tus mentio: loco, E T, figurā, vel aliud nescio  
quid intelligitis. loco; CORPVS M E V M, ener-  
giam vel succum corporis Christi, reponitis.  
Quonodo in tā aperta scripturā peruersio-  
ne, nec Deum timetis, nec homines reuere-  
mini? Vel fortē non creditis, tam veracē esse  
filium, qui h̄c verba ore suo protulit, quam  
Paterē, qui illa alia ex aēre formauit? Sed iam  
confessi estis, filium esse consubstantialem  
Patri, ac proinde æquē ac Patrem esse veridi-  
cum. Stant itaque h̄c veritates: Vna; nos,  
qui h̄c omnia, tam Patris, quam Filij verba,  
vti sonant accipimus, magis quam vos, Dei  
dicta, venerari. Altera; sicut per vos, ô Sacra-  
mentarij, Gentilem, in his verbis Dei Patris,  
tropos venantem; ita per nos, & per Luthe-  
ranos, vos, qui in Filij Dei verbis figura-  
s quæritis, in illa die iusti iudicij Dei, condem-  
natū iri.

*Conclusio  
duplex.*

Placent h̄c, quæ diximus vniuersa, Lu-  
theranis & Confessionistis. Verum & contra  
istos habeo pauca, cū ex dictis Dei Patris; tū  
vero ex sermone Filij Dei. Requiero cñim à  
Lutheranis; vt̄rum, sicut verba h̄c Dei Pa-  
tris, HIC EST FILIUS M E V S DILECTVS, cum  
diceretur verissima erāt, verè & realiter exi-  
stēte Filio Dei Christo Iesu in mōte Thabor;  
ita illa alia verba Filij, HOC EST CORPVS

*QVADR  
TO. Violat  
ea Luthe-  
rani, Eccl.*

M E V M

*Dilemma-* M E V M , fuerint indubia , verè & realiter  
*te id eue-* præsente corpore Christi in Sacramento,  
*dens est.* quando hæc verba dicendo , Apostolis illud  
 porrigebat ? Vtrum eligitis ? Si dicitis vera  
 non fuisse ; & vim facitis scripturæ , qui si-  
 milia verba dissimiliter exponitis , & menda-  
 cem facitis Filium Dei , qui asserebat esse ,  
 quod necdum erat . Asserebat enim id quod  
 manibus tenebat esse corpus suum , cum se-  
 cundum vos nōdum esset , sed demum cum

*Et Christū* eo Apostoli vterentur . Sin conceditis , sicut  
*extra vsum* Patris , ita & Filij vera fuisse verba illa , cum  
*esse in Eu-* dicerentur , concedatis igitur necesse est mé-  
*charistia.* daces esse Doctores ac Ministros vestros , qui  
 vos docent , demum in vsu Sacramenti , ve-  
 rum esse corpus Domini : quandoquidem  
 cum hæc verba à Christo dicerentur , Apo-  
 stoli nondum Sacramento vtebantur , sed a-  
 liquantò , imo postremi multo post ; præser-  
 tim sumendo calicem , quem diuidebant in-  
 ter se . Bonum igitur tempus intercesserat ,  
 antequam ultimus ex eo biberat ; & tamen  
 verba illa Christi , *Hic est sanguis meus* , multo  
 ante prolata , verissima erant , dum diceren-  
 tur , etiam si necdum in vsu esset Sacra-  
 mentum . Et hoc ipsum nos credimus , non vsu  
 sed vi verborum , ante omnem vsum adesse  
 hic verum corpus Christi Iesu .

*QVINTO* Denique illa ultima Dei Patris verba , I-  
*Violante ea* omnes here PSYM A V D I T E , valent pro nobis contra  
*omnes here* omnes ,  
*tunc Eschis.*

omnes, quotquot fuerunt, sunt, eruntque, si-  
ue hæretici, siue schismatici. Nos enim soli  
sumus, qui Filiū Dei audimus in omnibus,  
qua docuit, qua facienda præcepit. Re-  
censere vniuersa, non solum vnius horæ, ve-  
rum ne diei quidem integræ, opus est. Itaq;  
illo, quod in principio excussimus, Dic E C-  
L E S A E, contenti sumus; pet simile ei ad-  
dentes, quod Christus ad Apostolos, de ipsis  
& de eorum successoribus, sic inquit; *Qui* *Mat.18.17.*  
*Vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*  
His duobus Christi præceptis, in quibus o-  
mnia alia continentur, soli Catholici fi-  
dem adhibent, solique ijs, quos audire ius-  
sit Christus, sunt obedientes: cæterorum  
nemo. De hæreticis nimis in propatulo est,  
eos, siue in articulis fidei, siue in expositione  
sacrae Scripturæ, siue in receptione, aut re-  
iectione librorum Canonicorum, siue in a-  
lijs rebus omnibus, salutem animi concer-  
nentibus, nullum alium audire, quam pro-  
prium caput & iudicium. Huic quidquid pla-  
cuerit, recipitur; quidquid displicuerit, sper-  
nitur, respernitur, conculcatur. Quis, aut ita  
imperitus est, quid id ignoret? aut ita impu-  
dens, qui id neget? Nos omnes, inquiūt hæ-  
retici, negamus; imo asserimus, *vos, vos esse,*  
qui hominibus creditis, qui decreta homi-  
nū, siue in Concilijs, siue à Pontificibus R.o-  
manis, siue alio modo efformata, tanquā Di-

*Soli Catholici  
audiuntur  
Iesum.*

*Mat.18.17.*

*Luc.10.16.*

*Hæreticis  
proprium  
caput.*

*Qui obiicia  
unt, nos ho-  
mines, se  
Christum  
audire.*

uina recipitis oracula. nos vero soli Christo,  
de quo hic dicitur, IPSVM AVDITE, fidē ad-  
hibemus. Hæc istorum est oratio. Nos vero

*Cōtrarium  
probatur.* quid? Cæcitatem & impudentiam miramur.

Et primū quidem petimus, num illis loqua-  
tur Christus; quem se solum audire iactant?

*1. Regerendo.* Loquitur, inquiunt, per sacram Scripturam.

Respondeo: Ergo & nobis loquitur, cū nos  
quoq; eandem scripturam habeamus; & ita  
habeamus, vt nisi vos illā à nobis accepisse-  
tis, ea penitus caruissetis. Quid ad hæc? Illud

*2. Exemplis  
scriptura.* nimirum, aiunt isti: quia nos benè, vos malè  
cam intelligitis. Scilicet. Nos (exempli cau-  
sa) verba tam hæc in hodierno Euangeliō,

HIC EST FILIUS MEVS, quam illa Christi,  
HOC EST CORPVS MEVM, malè intelligi-  
mus; qui, vt sonant in auribus nostris, sic ea  
ad vnguem accipimus: vos vero benè, quine  
vnu' quidem verbum sanū, in ijs relinqui-  
tis. Discernat & iudicet Deus, Angeli eius. &  
omnes compotes rationis homines, vtri no-  
strū melius. Et idem sit, & de illis, qui vos au-  
dit, me audit; & de sexcentis alijs scripturæ lo-  
cis iudicium.

Quod vero ad decreta Prælatorū nostro-  
rum attinet, fatemur nos ea, pro oraculis su-  
scipere Diuinis, non omnia quidem, sed illa  
tantummodo, quæ verè sunt eiusmodi. Quod  
dum facimus non hominibus, sed Christo  
Deo, nobis per illos loquenti, & ore suo pre-  
cipient,

cipiēti, qui vos audit, me audit, qui vos spēnit,  
me spēnit, fidem adhibemus, & obtēperā-  
tes sumus, ut esse decet veros filios sanctissi-  
mi Patris. Vos vero, o miseri, purissimis, imo  
impurissimis hominibus, absq; vlo p̄ce-  
pto diuino creditis; Ministris, inquā, vestris,  
& illorū Rabbinis, qui vobis verba capitīs, &  
intellectionis suā, pro verbo Dei, obtrudūt;  
& adhuc tam stupidi es̄tis, vt adeo apertam  
fraudē, vel intelligere, vel respuere, recusetis?  
Miseremini, obsecro, animā vestrā, ne cum  
perditis hominibus pereatis. Nonne vide-  
tis; quam impudenter apud vos Ministri  
gloriantur, se nihil præter verbum Dei, in  
medium proferre, cum ne centesima pars  
concionum, quas faciunt, sit ē verbo Dei  
desumpta? & si quid inde promunt, plerum-  
que suis prauis expositionibus corrumpūt.  
O quam iusto & sapienti Dei iudicio factū  
est, vt sicut in infinitis alijs, ita etiam hīc e-  
ius vitij, cuius iniquè Ecclesiam insimula-  
bant, ac si illa hominibus, tanquam Deo  
crederet, ipsi rei reperirentur? Suo enim  
illi aut Ministrorum suorum iudicio, sicut  
Euangelio credunt.

Porro in Ecclesia Catholica, hic ordo ser-  
uatur ( quem, & alias insinuavi ) vt quid-  
quid ab hominibus, vt homines tantum,  
nulla legatione Dei fungentes, sunt, asseri-  
tur; id sub fidem Catholicam non cadat, sed

P 2

cadat

3. Experiā  
entia.4. Ex Gerbiō  
Ministrorū5. Iusto Dei  
iudicio.Ordinem  
Ecclesie hic  
NOTA.

*Catholici  
disceptant  
de iis qua  
homo dixit.*

cadat sub cōtrouersiam. Hinc inter Catholicos, imo sanctos nōnunquam Patres, multo autē magis inter Doctores Scholasticos, tot sunt exortæ quæstiones, ac diuersæ de rebus liberis opiniones, quot vix iam numerari possint. Quodq; tam malè habet hæreticos, ut linguis calamisq; suis infectari nos hoc nomine nunquam cessent. Mirabiles sanè sunt isti homines; cum disputantes nos inuicem, inde contentiosos, curiosos, nugaces vetant; cum in aliqua quæstione quietos nos esse animaduertunt, hominibus, tanquā Deo credere. nos calumniantur. Sed intelligent tandem & perpendant, quæfo, quam nos hac in parte obseruamus regulam; sci- ant itaque omnes quæstiones & controuer- sias, quas inuicem habemus, esse tantum de eo, quod homo dixit. Quam primum autem cōsiderit, quid hac in parte locutus est Deus, statim omnes veri Catholici, reiectis suis opinonibus (quas cum esset controuersialis libera, liberas habuerunt) in captiuitatem redi- gunt suum intellectum in obsequium Christi; & credunt quidquid per sponsam suam Eccle- siam, Christus eis credēdum proponit. Hæc est norma fidei, quam ab initio Euangeliū semper seruatunt fideles.

*Cum Vero  
constat Deū  
locutum,  
minime.  
2. Cor. 10. 5.*

Rem aliquot declaremus exemplis. In ipso nascentis Ecclesiæ exordio, aliquot post Ascensionem Christi Domini in cœlum an-

*Exemplis  
res decla-  
ratur.*

nis,

nis, liberum fuit dubitare, & dubitado con-  
trouertere (quod & factum est) an vna cum  
Euangelio, seruandæ essent leges Mosaicæ, *1. De obser-*  
*atione legalium.*  
de Circumcisione, de delectu ciborum, dēq;  
alijs sanctitæ: quia tam affirmantem, quam  
negantem partem homines proferebant. At  
vero posteaquā (imo, vt arbitror, etiam ante-  
rea, sed ex alio capite) in primo vniuersali  
Concilio auditum fuit: *Visum est spiritui san-*  
*cto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris,*  
*&c.* nemini licitum fuit amplius dubitare  
quicquam, ad ceremonias veteris legis Chri-  
stianos minimè obligari. Quare? Quia via  
ordinaria constitit, id quod homines antea  
loquebantur, Christum dixisse; Similiter in  
questione de rebaptizandis hæreticis, libe-  
rum fuit per trecentos & amplius annos se-  
qui, vtram quis veller partem, siue affirman-  
tem cum Cypriano; siue negatæm cum alijs;  
sed postquam & à summis Pontificibus, & à  
Concilijs decïsum fuit, ritè baptizatos ab  
hæreticis, rebaptizandos non esse, omnis,  
inter Catholicos, cessauit contentio. Cur,  
quæto? Quia, de quo antea dubiè differe-  
bant homines, hoc postea decidit is, de quo  
dicitur in Euangelio, *I P S V M A V D I T E;*  
locutus est autem Christus per eos, de qui-  
bus ipse olim ait: *Qui vos audit, me audit.*  
Vides, quomodo in Catholica Ecclesia, o-  
mnia ad scripturam saltem reductiè reuo-

*Att. 15. 28.**2. De non  
rebaptizâ-  
dis hæreti-  
cis.*

**NOTA.** cantur. Id ipsum, tum in alijs, tum in Con-  
**Quomodo** cilio vniuersali, nostra memoria, Tridenti  
**apud Catho** celebrato factitatum, ac determinata quæ-  
**licos omnia** dam, quæ olim libera erant, & videmus, &  
**ad scriptu-** approbamus & diuinæ Christi Iesu prou-  
**ram redi-** dentiæ, hoc quoq; nomine, gratias agimus  
**cantur.** maximas.

**3. Ex Euau-** Prætereo reliqua; ea quæ dat Euange-  
**gelio, de** lium hodiernum tango. Fide Catholica  
**Transfigua-** credendum est, & hanc Christi, & nostram  
**rat. onc.** quam expectamus, transfigurationem, se-  
cundum accidentia tantum fieri, substanzia corporis humani integra remanente.

Quare? Quia id Christus contra Eutychen,  
& alios per vicarios suos, & Concilia di-  
xit. At vero, an hæc transfiguratio fuerit  
in toto corpore, vel tantum in eius super-  
ficie extima, liberum est dubitare. Quare?  
Quia hac de re, diuersæ sunt hominum, hu-  
manæ opiniones. Pari ratione, fide cre-  
dimus Eliam hic in proprio apparuisse cor-  
pore; quia scimus, & ex scriptura, & ex de-  
terminatione Ecclesiæ, illum hucusque vi-  
uere, & venturum ante extremum iudici-  
um: Quod Lutherus, & alij nostri tempo-  
ris heretici negant. In illo ergo quod &  
tunc habuit, & nunc habet fuit Elias cor-  
pore. Vtrum vero Moyses, etiam in pro-  
prio apparuerit corpore, fas est dubitare.  
Concedunt enim id D. Hieronymus, & D.

Augu-

**4. Hidem**  
**de Elias,**

Augustinus : Negat D. Thomas : tu, quem <sup>s. Indidem</sup> placet, sequere. Denique vocem hanc è cœ. <sup>de voce.</sup>  
Iolaplam, de vero & consubstantiali Patri,  
Filio, intelligendam esse, fides est Catholi-  
ca. Quoniam vero modo, ea formata fue-  
rit, liberum est, cuius discurrere; dummo-  
do quis in illum simplicium errorem non  
incidat. Hæc pro declaranda & compro-  
banda data regula, dicta sufficient. De ad-  
uersarijs vero quid? Id videlicet, eos eti-  
amsi decem Concilia oecumenica, centum  
summos Pontifices, mille doctissimos, an-  
tiquissimos, sanctissimosque Patres ac Do-  
ctores (per quæ media Deus nobis loqui-  
tur) afferas in medium, qui assuererent, De-  
um id dixisse; si cum cerebro Ministri, vel  
cuiusvis alterius non conuenit, non so-  
lum non credere, sed, etiam tam doctrinā  
ipsam, quam qui illam disseminant, Ade-  
re, & scommatis ac calumnijs onera-  
re. Quam rectè? Videat Deus, & iudi-  
cet.

Verum tempus est, vt post personas & <sup>III. PARS.</sup>  
dicta, facta etiam, quæ in monte hoc vi-  
<sup>Facta con-  
templatur.</sup>  
suntur, contemplemur. Tria breuiter no-  
to. Primum ipsam **CHRISTI** transfi-  
gurationem, quæ duplicitis nostræ figura-  
<sup>PRIMVM  
ipsam trans-  
figuratio-</sup>  
est: tum eius quæ in hac vita: tum il-  
lius, quæ in altera habebitur. Vtramque  
nos ad instar huius **CHRISTI** factam cre-  
dimus:

dimus: utramque heretici oppugnant, per extrema (ut mos fert istorum) currentes. Veteres enim (ut iamiam diximus) in illa quam expectamus, ita corpus nostrum transformandum asserunt, ut substantiam suam deperdat corpoream, & in aërem, vel etiam aëre aliquid subtilius conuertatur. Recentes vero, iustificationem (in qua hic nostra transfiguratio consistit) imputatiè tantum, & pure extrinsecè, nulla in anima nostra immutatione facta fieri autumant. Utramque abominatur fides Catholica, & profiteretur, sicut in hac Christi transfiguratione, corpus quidem remansit idem; qualitates tamen corporis erant distinctæ; ita in utramque nostra transfiguratione, animam quidem, & corpus manere eadem: at qualitates esse dissimiles, nam in hac quidem illius virtutis, noua gratia à Deo infunditur, quæ verè inhæret animæ nostræ: in illa vero, tum animæ, cum corporis qualitates, erunt; ab ijs quæ nunç habentur, longè diuersæ & excellentes.

*SECUNDUM.* Secundo, hic visitur vestimentorum transformatione, quæ FACTA SVNT ALBA, SIC VIT NIX. Hinc Christi sponsa, sponsum imitando varijs in Festiuitatibus, diuersis sacrarum vestium vtitur coloribus; quod, (ut solent) suauiter rident heretici. Quidni etiam ipsum Christum hodie rideant?

ant? Minime vero, inquit, quia candor  
hic vestium Christi, quid subitus ageretur  
denotabat. Idem d'amici, hac ceremonia  
exigit à nobis mater nostra, nempe, ut filii  
eius intuentes candidum in templo colo-  
rem, ipsi quoq; fiant candidi per sacramen-  
ta dealbantes animas suas in *sanguine Agni*: *Apoc. 7.14*  
intuentes vero rubicundum, cuius usus est  
in memoria martyrum, ad tribulationes i-  
psorumque martyrum pro Christo toleran-  
dum, animentur. Idemq; de aliis coloribus  
sit iudicium. Quæ quicunque ridet, videat  
ne & ipse rideatur ab eo, quem Ecclesia imi-  
tatur, quando illud Prophetæ explebitur:  
*Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus* *Psal. 2.4.*  
*subannabit eos.*

Postremum his Matthæus describit ver-  
bis: *Et interrogauerunt eum discipuli dicentes:* *TERTIO.*  
*Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oportet*  
*primum venire?* At ille respondens, ait eis: *Elias*  
*quidem venturus est, & restituet omnia.* Hoc  
ipsum nos credimus, Eliam, videlicet, qui  
nec dum obiit, venturum: & Christi aduen-  
tantis ad iudicium præcursorum futurum,  
quod pernegant hæretici. Merito, inquit,  
faciunt. Subiungit enim Christus scipsum *Obiectio ha-*  
*reticorum.*  
quasi corrigens. *Dico autem vobis, quia Elias*  
*iam venit, quibus verbis aperte docet, se per*  
*Eliam Ioannem Baptistam intelligere.* Nō  
corrigit se (*Respondeo*) d' inepit, non. Sed  
P 5 à si-

*Responsum  
Et regulā.*

*NOTA.*

*Ioa. 4.*

*Ioa. 6. 33.*

à simili transit ad similem more sibi con-

suetō. Ita enim loquens cum Samaritana, ab aqua materiali, transit ad aquam spiritua-

lem : Ita cum Iudæis disceiens, de manna

pane cœlesti, transitum facit ad Eucha-

ristiam, panem, qui de cœlo descendit, & dat vi-

tam mundo. Eadem hic omnino ratione,

facta mentione veri Eliæ, quem ventu-

rūm prædixit, transit ad Eliam in spiritu.

Sic enim Ioannem Baptistam ipse Ange-

lus vocat, cum inquit ad patrem eius : ipse

*Eze. 1. 17.*

præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.

Nam de Eliæ Thesbyre, Christum hic in

principio loqui, clarum est, tum ex inter-

rogatione Apostolorum, ad quam direc-

te respondet : tum ex verbis in futuro

prolati, tum vel maxime, ex eo quod in-

quit. Et restituet omnia. Prædictus enim

his verbis, per Eliam Thesbyrem, conuer-

tendas reliquias Iudæorum. Verba vero i

sta nullo modo Joanni Baptiste compete-

re posse, euidentis est. Is enim, teste ibidem

*Mat. 17. 12.*

codem Christo, cum inquit, sed fecerunt in eo

quæcumque voluerunt, iam occisus fuit ab

Herode, proinde nec quidquam restituere

poterat. Id porro Elias Thesbyres faciet,

ante extreum iudicium, sub Antichristi

tempora.

*CONCLV*

*SIO per ex.* Quare cum ex multis iisque euidentissi-

mis argumētis deductis & diductis, tum ex

monte

monte ipso Christi Iesu, tu ex personis, quæ *hortationē*  
in hoc monte visuntur: tum ex verbis, quæ *ex Prophetis*  
è cœlo audiuntur: tum ex factis, quæ ibi ge-  
runtur, clarissime apparuerit, non alibi quā  
apud nos esse veram in terris Christi Domi-  
ni Ecclesiam: quid aliud conuenit agere ijs,  
qui inde exerrarunt, quam verbis illis dno-  
rum Prophetarum, quæ iam attulimus, se in-  
uicem cohortari, dicendo, *Venite & ascenda-*  
*mus ad montem Domini, & ad domum Dei 1a.* *Iff. 2.3.*  
Facite rogo, & per salutem animarū ve-  
strarū vos obsecro, & per viscera misericor-  
diæ Dei vos obtestor, facite, & reuertimini  
ad gremiū matris vestræ Ecclesiæ. Ea, n ra-  
tione, & implebuntur hæ prophetiæ in vo-  
bis, & ipsa vos docebit vias Domini, & am-  
bulabitis in semitis eius: & conflabitis gladios  
linguarum vestiarum, quas contra genitri-  
cem acuistis vestram, in romeres, quibus ter-  
ram conscientiarum & corporis vestri per-  
pœnitentiā proscindetis, & lanceas vestras  
quibus seruos Christi appetiistis, in falces, ad  
demetendas segetes sanctas, fidei, spei, &  
charitatis, quæ in sola reperiuntur Ecclesia:  
nec non ad referendos fructus humi, itatis,  
castitatis, patientiæ ac aliarū virtutū, cū pri-  
mis autē OBEDIENTIÆ sanctæ: in quibus o-  
mnib. persecuerantes vique in finem vitę ve-  
stræ, ex hoc monte visibili, ad illum monte  
inuisibilem peruenietis, ubi Christus Iesus

cum

cum Deo Patre, & almo Spiritu S. viuit &  
regnat Deus, in secula seculorum. Amen.



## CONCIO III. S P E S.

*VICISSI.  
TVDO.  
EVANGE  
LIVM.  
Tertia cau  
sa lecti Eu  
angeli.*

*Luc. 19. 41.*

Mirabilis sane videtur esse, mater nostra Ecclesia, quæ duabus quidem ab hinc hebdomadibus, quando filii eius præ gaudio gestiebant, mæstum de passione Christi legit Euangelium: nunc vero cum tristantur, tum de peccatis dolentes (ò utnam omnes sitis tales) tum molesta ieunia sustinentes, lætissimam de transfiguratione Domini depromit, nobisque ob oculos ponit historiam. Quid hoc rei est? Illud, vide licet, ut re ipsa demonstret sponsam esse mirabilem sponsi mirandi: cuius si tam vitam, quam mortem intuebore, miraculum esse perpetuum fatebere. Cape vnum vel alterum eius rei exemplum huic non absimile. Ducebatur Christus Iesus, summo cum totius ciuitatis gaudio Hierosolymam in triumpho: ipse vero videns ciuitatem flevit super eam. Quid quæso, lætitiae cum tristitia? quid tripudio cum fletu? Neque vero ipse solus

solus lachrymatur, sed & alios hortatur ad fletum. Hoc ipsum egit Ecclesia in Bacchanalibus, ut tunc vidistis & audistis. E contrario vero post ultimam cœnam, iam iam mortem subiturus crudelissimam, sui oblitus, Apostolos variis, planeque stupendis solatur modis. Eum hodie imitatur Ecclesia, quæ immemor quasi instituti sui, filios mira nouaque fouet ratione, factura id ipsum etiam post duas hebdomadas. Denique tam sponsus, quam sponsa, tam Christus quam Ecclesia, in hisce iisque similibus actionibus vniuersis, mundi alternantis, lætaq; tri- stibus permiscentis, effigiem nobis intuen- dam proponit. Hæc vero tertia est, cur hoc Euangelium hodie legatur, haud certe con- temnenda ratio, quam in Christi nomine exutiamus.

Cæterum ut id præstemus commodiūs ipsum considerabimus explicabimusque Euangelium: indeque tum ad vitæ nostræ moderationem, tum ad vicissitudinis istius declarationem, tum ad spem diuinam in nobis excitandam, doctrinas salutares hau- riemus. Effice & perfice Christe Iesu, ita id faciamus, ut eo, vbi nulla est rerum varie- tas, te duce & auctore, felices peruenia- mus.

Quandoquidem in prima nostra con- cione proœmium historiæ hujus, satis; ut o- pinor,

*Prop. Eu-  
ang. cum  
doctrinis ex-  
pliabitur.*

pinor, copiose excussum, dignum est, ut eo  
relicto ad vteriora gradum faciamus. Itaq;  
posteaquam Christus Dominus tres illos  
discipulos in montem duxisset, ibidem

**T**RANSFIGVRATVS EST ANTE  
EOS. Transfiguratio à Græcis Metamor-  
phosis per-  
stringitur.  
*s. Pet. 1.16.*

Metamor-  
phoses per-  
stringuntur.  
*s. Pet. 1.16.*

Huius porro hodiernæ  
mentionem faciens, is qui illi aderat Pe-  
trus Apostolus, inquit: *Non enim doctas fi-  
bulas secuti.* & alludens & perstringens anti-  
quas Philosophorum & Poetarum ple-  
nas fabulis & erroribus Metamorphoses.

Cæterum causæ huius transfigurationis  
Christi fuerunt multæ. Verum aliis ad po-  
stremam concionem relictis, vnam, quæ  
huic in primis conuenit, consideremus. Ea  
vero est, vt scandalum crucis exortam in A-  
postolis ex prædictione mortis suæ tolle-  
ret. Ideo coram aliquot illorum transfigu-  
rari voluit.

**Q**uod etiâ  
nunc durat  
*s. Cor. 1.23.*

Nec vero ex discipulorum modo, sed ex  
omnium nostrum mentib. id scandalū au-  
ferre voluit. Quid n. est, quod magis offen-  
dit, quam crux tum Christi, tum nostra? De  
cruce Christi, scitis quid Paulus dixerit: de  
nostra, docet experientia quotidiana, quan-  
topere eam fastidiamus, quamq; acerba sit,  
hæc nobis alternantium consolationū & de-  
solutionum, crucis & gaudiorū vicissitudo.  
Lætari enim & honorari semper, cupimus &  
petimus

petimus omnes. Sed recordemur, quæso di-  
ctum esse olim nostri similibus, *Nescitis, quid* *Mat. 20.23;*  
*petatis: subditq; indidem Christus, Calicem*  
*quidē meū biberis, Calix igitur tribulationū &*  
*crucis est hic degustandus, dilectissimi, imo,*  
*vt audistis bibendus prius, quā ad illū calicē*  
*perueniamus, quē nonum bibiturū se cum e-* *Mar. 14.25*  
*lectis suis, in regno suo pollicetur Christus.*

Tres enim calices Dei videor mihi vi- *Calix Dei*  
dere in scriptura. Vnum vini clarissi- *triplex.*  
mi & defecatissimi, alterum, vini turbati: *NOTA*  
di: tertium ex ipsis facibus paratum. De  
primo iam diximus. Duos alios (imo o-  
mnes tres.) expressit David illo versiculo:  
*Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto,* *Ps. 74.9.*  
*Et inclinavit ex hoc in hoc, verum tamen fex e-*  
*ius non est exinanita, bibent omnes peccatores*  
*terre. Istrom trium calicum, tam primus*  
*ille, purissimis è consolationibus constans,*  
*quam iste postremus è solis consolatus tor-*  
*mentis, & in alia vita habebuntur, & dura-*  
*bunt in secula seculorum. Intermedius est*  
*huius vitæ, qui mixtus, in quo Deus incli-*  
*nauit ex hoc in hoc, id est misericordia, secunda*  
*aduersis, consolationes desolationibus,*  
*vultque ut omnes ex eo bibant. Quicunque*  
*ergo id facere refugit, ideoq; illum primum* *Mixtus bi-*  
*sibi in hac vita format, latari, gaudere, epu-*  
*lari, ac honorari semper, patiq; nū quā quid-*  
*quam satagens, siccq; vsq; ad mortem perse-*  
*uerās, absq; omni dubio postremū bibat in*

æter-

æternum necessum sit. Nonne exemplum  
huius rei euidentissimum ex ore ipsius sal-  
uatoris audistis, de illo diuite, qui *epulabatur*  
*LUC. 16. 22*  
*quotidie splendide & sepultus est in inferno?*  
Ne igitur hunc, obsecro, imiteris, volunta-  
tes ac delicias continuas aucupando, sed  
memor vbi sis, mixtionem hanc ex manu  
Dei libens accipias, eaque delecteris. Ita  
enim & Christus transfigurabitur & spes  
sancta orietur in te. Sed iam videamus, quo-  
modo hæc describatur transfiguratio.

*Christus  
splendidus  
totus.*

ET RESPLENDIT FACIES EIVS  
SICVT SOL, inquit Matthæus. Facit  
autem faciei mentionem, quia hæc vide-  
batur ab Apostolis: quamuis non faciem  
modo sed & totum corpus eius resplenduisse,  
communior sit Doctorum sententia,  
resque ipsa idem loqui videtur. Nam ideo  
subditur.

VESTIMENTA AVTEM EIVS FA-  
CTA SVNT ALBA. ex splendore enim  
glorificati corporis, radii in ipsa vestimen-  
ta ita emanabant, ut candida efficeren-  
tur, quæ antea talia non erant. Addit  
autem.

SICVT NIX. pro quo in Græco habe-  
tur, sicut lux, verum nostra lectio confor-  
mior est Marco, qui niuis itidem mentio-  
nem facit. Vtrumque porro concordat Lu-  
cas dicens, & *vestitus eius albus & resfulgent.*  
Porro

Porro hiis meminit, tum ob eximum candorem; ideo Marcus addit, *qualia fullo non potest supra terram candida facere*: tum ob mysterium & doctrinas morales, quas antequam percurramus, expedienda est quaestio, vnde nam hic splendor tam in corpore, *Differentia inter splendorem Chrysostomum & alios*, quam in vestibus prouenerit. Nec est dubium ullum apud Catholicos, ex anima, quae ab instanti creationis & unionis suæ cum verbo, beatafuit, decorem hunc emanasse. Proinde longe diuersus fuit hic splendor, tum ab illo Moysis, tum ab eo qui apparebat in facie Stephani protomartyris. Horum enim claritas ab ex-*Ex. 34.29* trinseco: Christi in internis proueniebat, *Act. 6.15*. In nullo tamen eorum essentia corporis, sed qualitates tantum permutatae sunt. Locuti sumus hac de re concione preterita. Idcirco nunc adiungamus pulchram D. Hieronym. idem exprimentis sententiis: *Hier. in Matt. 17.4* ait enim [vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Transfiguratio splendorem addit, faciem non subtrahit] Hæc ille. Qualis vero tunc Christus apparuit, talem ad iudicandum venturum, idem Hieronymus & Basilius ac alii afferunt, Quod de electis etiam (vt dixi) intellige. In illis enim, eam, quam in verbis Petri hic

hic expressam habes, causabit lætitiam : sed impis timorem & horrorem summū incutiet. Tu si sapis, operam da: ut ex illorū, non ex istorum sis numero. Id autem præstabis, si quæ transfiguratione hac denotantur, sedulo procurabis.

*Transfigu-  
ratio Chrs.  
ti nostram  
duplicem  
denotat.  
Prima qua-  
lis.*

Iam dixi, hac Christi Iesu, duplīcēm no-  
strām figurari transfigurationem, & illam  
videlicet, quæ in hac, & eam quæ in alia est  
vita. De priori agamus : cuius hic effi-  
giem, tum in splendore faciei, tum in can-  
dore vestium, eximie expressam habes.  
Quicunque enim gratia seu charitate Di-  
uina, quæ hanc transfigurationem efficit,  
præditus est, is & in anima tā pulchriè splen-  
det Deo & Angelis eius, quam amanter  
splenduit facies Christi, Petro & Sociis e-  
ius eius. *E*t vestimenta eius sunt candida o-  
mni tempore, teste sapiente, id est corpus ca-  
stum, & quæ, per corpus exercentur, opera-  
fiunt munda, pura, ac niue candidiora.  
O quam decora species in tali latet facie!  
O quam beatus cui hæc sunt! Sicut è con-  
trario impiorum facies, id est, anima, te-  
tra ac nigra, corpus vero ac opera eorum  
tenebrota sunt nimis. Denigrata est super  
*Impiorum  
anima, sic  
ut carbo.*

*Thren. 4.8.*

carbones facies eorum, lamentando inquit  
Ieremias, apta vtens metaphora. Quem-  
admodum enim carbo, & ipse infester est  
& quicquid tangit denigrat ac deturpat, &  
ad nihil aliud, quam ad combustionē va-  
let,

ler, ita anima hominis impii, abominabilis  
est Deo & Angelis, cælitibusque vniuersis,  
homines vero, quibuscum conuersatur, in-  
ficit & ignibus ad exurendum est destinata.

*Tres eius  
proprietan-  
tes.*

Videant vtrum eligant Christiani, cum *Electio*.

Christone splendere, ut sol: an cu[m] Diabo-  
lo obtenebrari & ardere, ut carbo: neq[ue]; ta-  
men comburi in æternum. Num cū Christo  
opera habere candida, ut nix, num vero cū  
illo, qui non habuit vestem nuptialem, ligatis  
manibus & pedibus mitti in tenebras exteriore  
vbi erit fletus & stridor dentium. Ego cui, tā  
chara est salus animarum vestrarum, quam  
mea mihi, suadeo ut frater, & hortor ut pa-  
ter, primum ut eligatis. Quid vero agendū  
sit vobis, ut Christum imitemini, dicam in  
postrema concione: nunc autem ad Euan-  
geliū redeamus, & quid transfigurato Chri-  
sto actum fuerit intueamur.

E T E C C E, inquit Mattheus, in ipsa  
videlicet, trâfiguratione cōstituto Christo.

APPARVERVNT: ipsi quoque visi in  
maiestate, teste Luca.

ILLIS tribus Apostolis comparuerunt,  
magna sane cum causa. Voluit enim Chri-  
stus ostendere, non se solum, sed etiam alios  
splendidos futuros in gloria cælesti. Cæterū  
non statim Apostoli hæc viderunt. Nam vt  
ait idem Lucas, grauati erant somno, & euigi-  
lantes viderunt maiestatem eius, & duos viros  
qui stabant cum illo. Viri autem illi fuerunt.

Q 2

Moy-

**Christus habet testimoniū à legi gislatorē & propheta.**  
*Mat. 7.12. & 2.40.*

MOYSES ET ELIAS: ille quidem legislator, hic vero è primis Prophetis, ut haberet Christus Dominus testimonium non solum à lege scripta & Prophetis, in quæ totum vetus testamentum, diuidit ipse Christus, sed etiam ab ipsis met persolis præsentibus, quæ testificabantur mentiri Iudeos dicentes, legi & Prophetis fuisse contrarium Christum Dominum. Porro de corporibus vtriusque diximus in præcedenti Concione: de Elia quidem certum: de Mose vero probabile esse, illa in proprio apparuisse corpore, quod quidem Moses peracto testimonio, ad quod dandum evocatus fuit, iterum depositus. Hi igitur duos viisi sunt.

**CVM EO LOQVENTES.** Non cum discipulis, sed cum ipso Christo. Quid vero locuti fuerint tacet Matthæus, sed narrat Lucas inquiens, & dicebat excessum eius, quæ completurus erat in Hierusalem. Hæc enim erat è præcipuis causis apparitionis eorum, nempe ut non solum transfiguratione sed etiam horum testimonio tolleretur è mentibus Apostolorum scandalum crucis. Itaque Moyses & Elias audientibus Apostolis narrabant necessarium omnino esse, ut Christus cruce compleret excessum suum in Hierusalem.

**Mors iusti non excessus.** Quid vero nos inde ad mores pertinens colligimus.

colligemus? Duo aut tria. Primum, quam pulchre vocet scriptura mortem, mortem- *Sap. 2.20.*  
 que & crudelissimam & omnium turpissimam. Vocab enim eam excessum, siue, ut est in Græco, exitum, id est, migrationem quādam. Qua quidem phrasī utimur nos quoque Poloni; sed velim ut & utamur ea bene, *abusus h̄is ius verbi.*  
 & operemur bene, ut ea ratione digni esse possimus hoc nomine. Sciendum est enim, non cuiusuis sed piorum tantum & sanctorum hominum mortem, excessum nuncupari. Nam de impiis, inquit Iob. *& in punclo in infernum descendunt.* Dauid vero. *mors peccatorum pessima:* idem vero de piis. *preciosa,* inquit, *in conspectu Domini mors sanctorū eius.* Satagamus igitur, iterum iterumq; mo-  
*neō dilectissimi,* ut per bona opera nostra, ac in iis perseverantiam; hoc nomine digni efficiamur: ut mors non sit nobis subitaria in infernum protrusio, sed sit de peregrinatio-  
 ne hac felix excessus, & beata in cælestē pa-  
 triam commigratio. Quam ad rem proderit nobis iugis ac frequens mortis meditatio,  
 dicente Spiritu S. *Memorare nouissima tua,* &  
*in æternum non peccabis.* Imo vero non solum meditari, sed & loqui de morte multum expedit, ut nos in Euangeliō, hi viri præcipui docent. O quam id proficuum! O quam rārum! O quam ita in desuetudinem abiit, ut ne morientes quidem quidquam de morte

Q 3

dici

*Mortis mea  
dissatio per  
utilis.*  
*Eccl. 7.40.*

*Iob. 23.13.  
Ps. 33.22.  
P. 115.15.*

*Agris ne-  
cessaria.*

*Ideo procu-  
randa.*

*Dum sa-  
nus es.  
Christi ex-  
emplo.*

*A medicis  
decreto Ec-  
clesia.  
Conc. La-  
teranense.  
A cognatis  
etc.*

dici sibi patientur. Tu scis, Domine Iesu, quam multi quin potius innumeris, hac ratione in peccatis permanentes, in infernum proruant, qui alias per sacramentum penitentiae saluari potuissent. Obsecro & per salutem vestram vos obtestor, ut hoc tantum tamque terrificum malum, & ex vestris, & ex omnium agrorum mentibus, quantum potestis, explodatis. Remedium vero nullum est, esseque potest efficacius, quam quod habetis in Euangeliō. Si enim dum sanus es de morte & audire & loqui assueris, non modo non asperum, sed etiam iucundum erit, ea propinquante de illa disferere. Li vero qui facere id neglexerunt, ideoque in agritudine difficiles, imo morosi sunt ad audiendum quidquam de morte, iumentur obsecro, primo a medicis, vt Concilia & canones sanctissime præcipiant, ne videlicet infirmo applicent prius medicinam corporalem, quam adhibita fuerit medicina spiritualis. O Sanctissimum decretum. Vtinam vero ab omnibus obseruetur. Deinde amici, cognati, noti, multo magis vero Domini, parentes, vxores, & alii, siue oportune, siue etiam importune non negligant hac de re monere infirmos, quorum curam gerunt. Neque vero moueantur, illo plane diabolico inuento, agrorum si id illi dictum fuerit, peius habiturum, vel etiam mortem

mortem incursum, sed potius confidant  
in Domino IESV, illum (si ipsi suo perfuncti  
fuerint munere) infirmo, & animæ & cor-  
poris salutem, misericorditer concessurum.  
Quod si vero ipsi id vel facere verentur,  
vel facientes nihil proficiunt, accedant  
& subornent, rogo, aut sacerdotes præ-  
fertim Religiosos, aut viros fæminasue a-  
licuius apud ægrotos auctoritatis, qui id  
Christi & salutis proximi amore, præstent  
efficaciter & libenter, ipsi quoque pro hoc  
sancto officio, cum alias, tum in extremis  
suis, gratiam & diuinum auxilium relaturi  
vberimum.

Postremo, ex hoc colloquio discimus,  
quod etiam si frequenter inculcatur à nobis,  
ægre tamen, imo ne ægre quidem intelligi-  
tur à vobis: illud inquam, nos per multas tri-  
bulationes, ex hac ad illam vitam, transire  
oportere. Mirum certe dictu est, quantus  
hac in re, veterus occupauerit mentes ho-  
minum. Quem utinam aliquando tandem,  
vel hoc tā illustri excutiamus exéplo. Quid  
n. in hoc auditur monte? colloquium de ne-  
cessitate tribulationum. Quid vero visitur?  
sex personæ, vti sanctissimæ, ita tribulationū  
plenissimæ. Moyses ab infantia ipsa iis assue-  
tus, nonne eas toto vitæ suæ pertulit tempore?  
Elias toties persequente se ad morte regi-  
nā fugiens, quas non ærumnas ac molestias  
sustinuit? Neque vero, finis earum est. Ma-

*A Sacerdo-  
tibus.*

*A precipuis*

*Tribulatio-  
num necessi-  
tatem.*

*N O T A,*

*Exemplos  
horum o-  
mnium.*

15.63.3.

nent enim illum sub Antichristo, maiora,  
quia & mors ipsa. De Christo Iesu, illud tñ  
commemoro, quod ipse apud Prophetam  
inquit. *Torcular calcaui solus & de gentib. non*  
*est vir mecum.* Quorsum hæc? vt noris nec  
Moysen, nec Eliam, nec quenquam homi-  
num, illum in pœnis tolerandis æquasse un-  
quam. Quid dicam de tribus aliis in terra ia-  
centibus? Hi vero contumeliis affecti sunt,  
flagellati sunt, tetrī carceribus mancipati  
sunt, catenis & compedibus onerati sunt,  
in oleo frixi sunt, in gladio ceciderunt, cru-  
cia affixi fuerunt. Et vero his omnibus nos  
feliciores esse ac minimum quid, dum hic  
*Hebr.ii.36* viuimus, pati nolumus? Profligemus, obse-  
cro dilectissimi, hoc absurdissimum vitium  
à nobis. Concipiamus autem animum ma-  
gnum ac generosum desiderii patiendi, &  
pro Æccatis nostris & pro nomine Iesu, vt à  
Iesu mercedem suo recipiamus tempore. In-  
terim vero spe, quæ maxime in tribulatio-  
nibus crescit, nutriamur optima. Sed ad hi-  
storiam redeamus. His ligitur vísis & au-  
ditis.

RESPONDENS AVTEM PETRVS.  
dicitur id Phras̄ Hebræa, qua omnis locu-  
tio responsio vocatur. Lucas sic habet.  
*Factum est, cum discederent ab illo, nempe*  
*Moyses cum Elia à Christo se separarent,*  
*Petrus.*

DIXIT

DIXIT AD IESVM. Ordo historiæ *Ordo hi-*  
is videtur suisse. Posteaquam Christus Do-*storia.*  
minus cum illis tribus Apostolis ascendisset  
ad montem, more sibi consueto dedit se o-  
rationi, in qua etiam pernoctauit. Apostoli  
vero somno grauati obdormierunt, cum  
que strepitu forte aliquo vel potius diuinu-  
nuu euigilassent, viderunt & Christum  
transfiguratum, & Moysen ac Eliam cum  
Iesu de morte, quam subiturus erat Hiero-  
polymis, differentes. Qua admirabili & iu-  
cundissima visione recreati, cum animad-  
uerterent Moysen cum Elia discessum pa-  
rare, Petrus feroire illo suo, quem etiam a-  
lias haud semel declarauit, prorupit in ver-  
ba; & retinere eos volens exclamat.

DOMINE; Iesum inuocans, quem Do-  
minum Moysi & Eliæ, qui eis ne discede-  
rent, imperare posset agnoscens, Deum esse  
fateatur; diuinitatem tamen eius non videret,  
Petrus: (sicut quidam putabant illum vi-  
disse) addit porro

BONVM EST NOS HIC ESSE, iuxta  
verbum Græcum, non solum bonum, sed  
& pulchrum & iucundum. Omnia enim  
hæc in mente Petri concurrebant. Bonum  
visum est illi, ut ea ratione timores mortis e-  
uaderent. Pulchrum quoque aspectu, & iu-  
cundum interno gustui, ideo subdit,

SI VIS, quibus voculis Simon (quod *Et docet*  
*nos obedire*  
*et trahi,*  
Q 5 ver.

*Feroire*  
*Petri, qui*  
*agnoscet,*  
*non videret*  
*diuinitatem.*

verbum Obedientem significat) egregium  
nobis obedientia dat documentum; nempe  
ne nimium consolationibus addicti, eas à  
Domino Iesu extorquere velimus; proinde  
vocem Petri, Si vis, in corde & ore habe-  
re debemus, Diuīna ipsius voluntati in om-  
nibus, nos semper conformantes & submit-  
tentes. Id enim etiam ipsum Christum in  
horto fecisse nouimus. Itaque Petrus pre-  
missa debita resignatione desiderium suum  
declarat, dicens.

*Nec nō pa-  
pertatis a-  
morem.*

*Luxus adi-  
ficiorum  
vitandus.*

FACIAMVS HIC TRIA TABER-  
NACVL A. non sumptuosa, vt arbitror, sed  
vilia ex arbustis, qualibus piscatores vñatur,  
quia is, qui id loquebatur, piscator, non ar-  
chitectus fuit. Quis vero nostrum vilissimū  
tugurium, cum tali visione non eligeret, pro  
amplissimis Regum palatijs? Danda igitur  
est Opera; ne propter sumptuosa ac luxum  
testantia adficia, illis que in ccelo habentur,  
priueniunt structuris amoenissimis. Quid?  
putasne neminem fore eiusmodi? At ego  
vereor, ne plures olim reperiantur, iusto  
Dei iudicio, quam nuac esse censemur. Ca-  
uendum igitur nimium, cum omnibus, tum  
ijs qui in fortē Domini sunt vocati; cum  
alijs de causis, tum ne pauperes suo frauden-  
tur pabulo. Quod quam & frequenter &  
incepte, propter rugas quasdam magno co-  
emptas precio, fiat, nouit Dominus, vident  
&

& ipsi homines, ac pīj ingemiscunt; Utinam etiam ipsi, quorum res agitur, & lugeant, & quæ in aurata expendunt laquearia, in cras- fas pauperum vestes, vilemque cibum con- uertere velint. Quam belle & feliciter, & in- Tres inde  
eptias, quæ maiores mirantur, euitarent; & fructus exi-  
fratribus egentibus opem ferrent, & sibi my.

thesaurum æternum compararent. Quanta bona? Utinam intelligentur & procuren- tur. Sed audiamus, quibus hæc tabernacula,

Petrus vult fabricare.

TIBI VNVM, inquit ad Christum re-  
gem regum, & dominum dominantium.

ET MOYSI VNVM: ipsi quoque o-  
lim sexcentorum millionum milium duci ac  
principi, Regisq; Ægypti cum toto eius re-  
gno, mirando domitori.

ET ELIA VNVM. illi inquam Elix,  
qui Reges ponebat & deponebat; qui pieu-  
doprophetas mactabat; qui alia quæ nul-  
lus Rex, imo ne omnes quidem simul con-  
globati, facere possent, præstabat. His  
omnibus noster Petrus tabernacula vult  
fabricare. Sanè non sine mysterijs, quo-  
rum intellectionem vos à Deo impetrare.  
Mihi vñū occurrit: nempe præfigere & præ-  
dicere his verbis, Petrum, sibi à Deo aliquā-  
do dandam potestatem fabricandi ædificia  
spiritualia in cœlo, vnde erat Christus: in  
terra, vnde Elias: in inferno, vnde Moyses. cœlū  
quidē clauibus aperiendo, in terra vero Ec-  
clesiam

Mirum Pe-  
tris deside-  
rium.

Hinc my-  
sterium po-  
testatis Pe-  
tri.

NOTA.

clesiam gubernando; ex inferno autem animas per indulgentias liberando. Quod & factum est, & fit quotidie per successores, summa cum omnium nostrum consolatione. & Deo nostro, pro tanta potestate data hominibus, gratiarum actione.

*Quinq<sup>z</sup>.  
causa insci-  
tia Petri.*

Verum quid dicemus ad illud, quod Marcus subiungit, loquens de Petro; non enim citabat, quid diceret? Duo dico. Alterum sapere ignorare quosdam, quid per os eorum, loquitur Deus. Alterum; merito id dici, multis nominibus. Primo, proprium timorem est, loqui inconsiderate: Timuistis autem Apostolos, idem testatur dicens: Erant enim timore exterriti. Secundo, quia pugnantia rei naturae loquebatur. Iis enim, qui erant in gloria, tabernacula vult fabricare; cum beatissimi illis non indigeant; sui vero & sociorum, qui ijs opus habebant, ne mentionem quidem ullam fecit, nam quod dicitur, eos cum Christo habitare voluisse, neque est in Evangelio, neque scio an Petro in mentem venire. Tertio, quia hac ratione videbatur velle impedire passionem Christi, quod nullo modo fieri debuit. Quarto, quia peruersus ordinem gloriam ante laborem, mercedem ante meritum quererebat. Denique quia nec vires nec facultates suas metiebatur, quibus id perficere posset. Quare non quidem improbo (ut Sanctorum verbo utar) sed proposito

nimas  
actum  
ma cu  
eo no  
nibus,

postero Petri desiderio , remedium statim adhibetur. Nam

AD HVC EO LOQVENTE, vt cognoscet tabernaculis opus non esse.

ECCE NVBES LVCIDA: quæ cuius-dam domus ad instar illis fuit : & quæ

OBVMBRAVIT EOS. Apostolos vi-  
delicet texit (imo & illos alias) mysterium-  
que pandit, illud de quo in hac Concione a-  
gimus. Nempe vicissitudinem illam docet,  
& alternantiam tum luminis cum obscura-  
tione, tum rerum secundarum cum aduer-  
sis, nobis ob oculos ponit. Quid vero ex hac  
nube boni?

ET ECCE VOX DE NVBE , DI-  
CENS. vox videlicet Dei, in nube more suo  
cōparentis. Id enim olim vistatum fuisse, te-  
statur ipse Moses, cum inquit: *Gloria Domini  
apparuit in nube, imo ipse Deus dicens. Vniā  
ad te in caligine nubis.* Dauid vero de Deo ait.  
*qui ponit nubem ascensum suum* Itaque sicut  
olim Moyse, ita nunc Apostolos nubes ob-  
umbrat: & vox Dei inde auditur: differen-  
ter tamen; qua de re agemus postea. Iam ve-  
ro vocem audiamus.

HIC EST FILIVS MEVS DILE-  
CTVS, inquit Deus Pater. de verbis hisce e-  
gimus in præcedenti concione, quantum sat  
erat pro illo loco, nunc doctrinas ad mores  
pertinentes ex ijs hauriamus. Sed enuclean-  
da

*In nube  
Deum.*

*Nubes & i-  
cissitudinē  
docet.*

*Difficultas, da est principio difficultas, quā peperit nobis D. Petrus, qui visionis & verborum horū faciens mentionem, inquit: Et hāc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cū ipso in monte sancto, & habemus firmorem propheticum sermonem, cui benefacitis attentes.*

*¶ Pet. 1.18.*

*Quid? numquid visio hæc satis firma non erat, quæ & voce Dei, & testimonio Moysiac Eliæ, & trium Euangelistarū scriptis firmata fuit? Fuit equidem firmissima. Cur ergo dicit Petrus, esse firmorem propheticum sermonem? loquitur, tum ex aliorum opinione, tum*

*ad nostram cautelam. Erat enim forte non nemo (vt sit) qui visioni huic non adeo plenam fidem adhibebat, sed propheticum extollebat varicinium. Quæ opinio quamvis recta non esset, tamen quia vidit Petrus, causæ nil obesse, unde quis veritati (cōtra hæreticos, postea Gnosticos dictos, quos in illa epistola Petrus persequitur) assensum præbeat, dum modo, quod verum est credat, fidem illorum his verbis cōfirmat. Eximium sane, tum humilitatis exemplum; tum documentum quomodo nos in similibus gerere debeamus. Si enim princeps Apostolorum, nihil mouetur, etiam si quidam nō plenam visioni ipsius fidem adhibeant, quanto minus nos*

*commoueri decet, si quis nostram opinionem sequi recusat? dummodo id fidei non oblitus Catholicæ. Cum ergo contrario vitio non  
nunquam*

*1. Ex Vulgi  
opinione.*

*2. Ut, præ-  
fertim do-  
ctos humili-  
tatem do-  
ceat.*

*NOTA.*

nunquam aliqui, præsertim doctiores labo-  
rent plurimum, æquum est, ut illud tanta au-  
toritate à se valde propulsent. Imo alter  
quoq; Apostolorum princeps Paulus, idem <sup>Idem facit</sup>  
nos docet. Quid enim verba illa, dum omni <sup>Paulus.</sup>  
modo siue per occasionem siue per veritatē Chri-<sup>Phil.1.18.</sup>  
tus annūciatur; & in hoc gaudeo, sed & gaude-  
bo. Spirant aliud, quam hanc ipsam & humili-  
tatem & doctrinam? Idipsum igitur nos  
quoq; agamus; ne nimium opinionibus no-  
stris addicti, in graues incidamus errores.  
Hic enim vel solus vel præcipius omnium  
hæresum est fons & origo.

Sed & aliam dat nobis his verbis Petrus <sup>3. Ut in-</sup>  
cautionem; nempe, ne nimium credentes <sup>Brutat, quo-</sup>  
visionibus, deludamur à Sathanā. O quāid <sup>modo usse</sup>  
& olim & nunc pernecessarium. Quid e-<sup>nsibus cre-</sup>  
nim & antiqui Gnostici, Manichæi, & aliæ <sup>dendum,</sup>  
pestes; & nunç Anabaptistæ, & Euthusiastæ,  
imo vero inter Catholicos etiam muliercu-  
la quedam proferunt & referunt plerumq;;  
quam siue somnia sua, sine à Dæmone cōfi-  
ctas visiones quibus non modo à vili plebe  
multos, sed etiam è doctis, graues nonnullos  
viros dementant, ut ijs credant? Magna igi-  
tur hic opus est discretione, cum alijs, tum  
viris spiritualibus, ut & ipsi sibi caueant, ne  
ab illufore deludantur, & alijs opem ferant,  
præsertim debiliori sexui, qui ad hæc pro-  
nus existit. Quapropter in promptu sunt  
nobis

nobis habenda, tum media discernendi spiritus, qui ex Deo sunt: tum remedia fraudes cauendi. Quia de re non inutiliter esset nobis longior sermo instituendus, sed ne nimia prolixitas, quenquam offendat, ad aliud tempus. id differendum erit, dicemus quedam in ultima concione. Plura qui volet legat insignem illum Ordinis Prædicatorum, Prædicatorem virumque sanctissimum D. Vincentium, qui eximie tractauit hanc materiam, sub finem tractatus sui spiritualis. Nos vnicam tantum quam hic D. Petrus insinuat tangamus spirituum discernendorum regulam. Ea vero est, propheticus & Euangelicus sermo, cui quidquid repugnat, repudiandum; quidquid consonum est, suscipiendum erit. Gaudebunt hic nostri, qui falso & impudenter Euangelicos se esse iacent, se nihil efficient. Non enim isti propheticum aut Euangelicum sermonem, sed proprij capitis intellectionem pro regula fidei habent, ut cum alias, tum præcedenti concione discussimus; nec tacebimus, data etiam occasione. Id certum est, in sola Catholica Ecclesia, hanc seruari regulam, ubi non modo quæ expresse & peculiariter, sed etiam quæ implicitè & vniuersim dicuntur in scriptura, pro regula fidei & habentur & practicantur. Sed ad Euangelium redeamus.

*Regula.  
Sermo di-  
uinus.*

*Quo cante  
Glorias.*

*Iuxta sen-  
tientiam Ecclæ-  
siae.*

IN QVO MIHI BENE COM-  
PLACVI, inquit Pater cœlestis de I E-  
s v Saluatorē nostro. Quibus dictis ta-  
lēm nos fidem adhibemus, vt affera-  
mus, ita sibi Patrem æternum in coæter-  
no suo filio complacuisse, vt nullus homi-  
num ex omnibus quicunque sunt, erant &  
futuri sunt, Deo Patri placere possit, nisi  
per hunc filium. Neque enim est aliud  
quispiam in cœlo & in terra, & in omnibus  
abyssis, in quo oporteat nos saluos fieri,  
nisi in eo cui dicitur: HIC EST FILIUS  
MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI  
BENE COMPLACVI. Vnus enim Deus,<sup>I. Tim. 3. 15.</sup>  
inquit Apostolus, vnus & mediator Dei &  
hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redem-  
ptionem semetipsum pro omnibus. Et iterum  
loquens de Deo Patre ait: Qui prædestina.<sup>Epheſ. 1. 5.</sup>  
uit nos in adoptionem filiorum per Iesum Chri-  
ſtum in ipsum. Rursum. Si autem filij & hæ-  
redes, hæredes quidem Dei, cohæredes vero  
Christi. Hæc est fides Catholica, contra o-  
mnes calumnias, quibus nos, tanquam in  
quopiam alio, præter Christum, spem re-  
demptionis & salutis collocemus nostram,  
onerant hæretici. Hoc est unicum nostrum  
refugium contra insidias Diaboli vniuer-  
fas. hæc fiducia, qua & gratiam & gloriam  
nos assecuturos, speramus. Per Iesum  
Christum enim naturalem filium nos ado.<sup>Adoptiui filij per na-</sup>  
<sup>turalem.</sup>

R ptio-

ptionem filiorum accipimus ; in hac quidem vita imperfectam , in illa vero perfectam.

*Omnis trās  
figuratio  
per Chrs.  
tum.*

Audita sunt autem bis verba hæc è cœlo : prima quidem vice post baptismum; altera vero hodie. ut cognoscas, hoc, quod iam pandimus, mysterium : nempe, tum primam transfigurationem, quæ sit per gratiam & datur primum per Sacramētum Baptismi ; tum secundam , quam expectamus in gloria, & cuius h̄ic typum ac gustum vides, non aliter quam propter Christum, & per Christum haberi. Vtrumque eodem in loco egregiè expressissime mihi videtur Apostolus illis verbis; Secundum suam misericordiam saluos nos fecit , per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti , quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum , ut iustificati gratia ipsius , heredes simus , secundum spem vitæ æterne. Hæc igitur consideremus, hæc adamemus, & ad hæc cœssenda, totis mentis & corporis nostri virtibus contendamus dilectissimi; In his enim (vt audistis) spes vitæ æternæ consistit. Porro si modum hæc aquirendi requiris, is excellenter describitur ultimis duobus cœlestis vocis verbis.

*Ea vero ha-  
berur au-  
diendo  
Christum.*

IPSVM AVDITE; audite inquam, fidem dictis eius adhibendo ; audite, spem & fiduciam in ipso solo collocando ; audite, illum amando,

amando, & ex amore, quæcunque ipse, si-  
ne per eos, quos suo loco reliquerit, vobis  
demandauerit, perficiendo. Omnia enim  
hæc, verba, A V D I T E, hic & alibi in scri-  
ptura usurpatum, complectitur. Id igitur a-  
gamus dilectissimi, & agamus strenuè acin-  
defesse. Credamus omnibus, quæ nobis ad  
credendum proponit Christus Dominus per  
sponsam suam, quæ neque errare ipsa, neque  
nos in errorem inducere potest. Ij vero qui  
inde exerratunt, redeant oro, nec patian-  
tur sibi imponi à Syrenum ministrorum  
cantibus; quos itentidem repetunt, dicen-  
tes, se in solo Christo, nos vero in sanctis  
spem collocare nostram. Id enim si de spe  
redemptionis gratiæ & gloriæ intelligunt,  
falsissimum est, ut iam iam audiuistis. Hanc  
quippe in solo Mediatore Christo Iesu Ca-  
tholici collocant semper, sin vero de spe,  
quam in intercessionibus Sanctorum habe-  
re consueuimus, eos videlicet nobis donum  
aliquid à Mediatore ac ipso Deo impetra-  
turos, res agitur, fatemur quidem nos eorū  
hac in parte vti opera, ducemque sequi Apo-  
stolum Paulum, qui idem à fidelibus expe-  
tijt: *Fratres orate pro nobis*, inquit ille, & alias  
sæpe. Omnis autem, qui se alicuius cōmen-  
dat precibus, spem in eo collocet aliquam  
necessè est. Numquid Apostolus hæc dicen-  
do, iniuriam intulit, vni Mediatori Christo

*Licet tamen  
etiam San-  
ctos in nos  
care,*

*Quod fecit  
Paulus.  
1. Thess. 5. 15.*

R. 2 Iesu

Iesu? Absit. Neq; nos igitur. Tantum enim abest, vt id aliquid meritis Iesu deroget, vt arroget etiam plurimum. Quidquid enim Sancti habent per merita Christi habent, & cum exaudiuntur, propter Christum, cuius vera & viuacissima membra sunt, exaudiuntur. Non igitur negligamus in nostris necessitatibus, eorum implorare orationes; cum horum qui vna nobiscum in hoc mortali vivunt adhuc corpore; tum illorum, qui iam cum Christo regnant in celis, vt qua iā ipsi feliciter perfruuntur transfiguratione, nos quoq; eiusdem participes esse queamus.

Jacto autem, tum fidei Catholicæ; tum fiduciae cum in Sanctorū intercessionibus, tum vero in meritis Christi Iesu, in primis autem in misericordia Diuina, solido fundamento; fugienda sunt nobis opera mala, facienda vero opera bona ex charitate prædcentia. Et si quidem lethalis alicuius colicu es tibi peccati, illud per pœnitentiam omnino abluendum est. Hæc enim vniuersa, & ille præcipit, de quo è cœlo dicitur, IPSV: AVDITE; & ipsa ratio utilitasque nostra à nobis sedulo exigit. Exemplum à minorice. Sit ciuis aliquis locupletissimus vel etiam Princeps quispam amplissima habens dominia; qui te tabulis in filium adoptare, hæredemque omnium suorum bonorum constitueret, dummodo hæc præstare velis.

Primo

*Quia hinc  
gloria Chrs.  
tæ.*

*Procuran-  
da igitur  
hereditas.  
Et quomo-  
do.*

*Ab exem-  
plo simili.  
quod.  
NOTA.*

Primo ut dictis illius veracissimis, fidem omnimodam adhibeas, fiduciamque in eius benevolentia habeas; Deinde, si illum laisti, culpam ut agnoscas tuam, factum doleas, & in posterū ab omnibus, quæ eum offendunt, diligenter tibi caueas. Postremo, ut quæcunq; ille tibi honesta præceperit, sedulo exequaris, ac inter alia, corpus domes tuum iciunijs, cleemosynis ac alijs pijs vacando operibus. Hæc inquam, si ad breue tempus, tibi cum eo, quod dixi, præmio, proponerentur, reciperesne te omnia esse facturum? Nihil equidem dubito, sed causam requiro. Ratio inquis, in promptu est. Qui enim & tam modicum, & tam honestum non susciperem laborem, vt toto vitæ meæ tempore lautè ac honoratè viuere possem? Quamdiu porro te vieturū autumas? quadraginta, ais, vel etiam pluribus annis. Iuuenis sum enim: ille vero senex nimium. Cur ergo, per Deum immortalem te rogo & obsecro, idem non facis illius hæreditatis ergo, quam & ipse, qui non mentitur, tibi promisit Deus, & eiusmodi est, qua cum omnes huius mundi diuitiæ, honores ac voluptates, ne cōparari quidem possint, & quæ insuper perdurabit in æternum? Num longitudinē accusas temporis, quo Christianè tibi viuendum esset? At hæc quāta stultitia! propter triginta vel quadraginta annorum

R 3 com-

commoda (& quis scit, an etiam vno victus sis anno) aliquot annorum velle pati in commoda; propter voluptates vero & beatitudinem perpetuo permāsuram, nolle, vel totidem vel paulo plures, aut etiam pauciores, honestissimos tolerare labores? qui principio quidem aliquātulum sunt molesti, sed assuetis, etiam iucundissimi. Tu ipse iudica: & non permittas, quæso, brutis passionibus tuis, te à recto iudicio amoueri, vt illis obedias. Sed reliquum Euangelij iam videamus.

ET AUDIENTES DISCIPVL I, magnificam hanc è cœlo delapsam vocem, ipsi quoque,

CECIDERVNT IN FACIEM SVAM.  
Quid causæ? nempe, quia

*Vicissitudinis aliud argumentū*  
ET TIMVERVNT VALDE. Ecce etiam hic, vbi minime locum videbatur habere, vicissitudo apparet. Iucunditatem enim illam &

*I. 10. 4. 18.* lætiſſimam maximam, quam Petrus cum socijs

habuit, sequitur timor, qui vtiq; pœnam habet,

*Differentia inter timorem montis Christi & Moysi.* teste scripture & experientia. Et talis timor

oritur, qui discipulos in terrâ prosternit. Et

tamen animaduertēdum, timorem montis

huius longè esse diuersum, à timore montis

Moysi. Ibi enim auditur vox terribilis. E-

*Exo. 20. 5.* go sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vi-

sitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam &

quartā generationem. hic vero vox & suauissi-

m. HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS. Illic

*2.* Iudei audientes & videntes vocē & lampades,

U

¶ sonitum buccina, montemq; sumigantem, ex- 16.8.18.

clamauerunt dicentes Moyse. loquere tu nobis

¶ audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne

forte moriamur; hi è contrario inquit Petrus,

BONUM EST NOS HIC ESSE. Illic denique

hæc omnia siebant, vt timor Dei esset in illis

ne peccaret; hic nihil tale audis, vt intelligas

differentiam inter antiquam & nouam legem.

Illa enim tota in timore fundata fuit; hæc in

amore, qui tamen metu filialem in se inclu-

dit. Hic autem in eo consistit, vt nō iam me-

tu pœnarum, sed reuerentia p̄fissimi & amâ-

tissimi Pátris à peccatis abstineamus. Id igitur agamus. Hic enim est solidæ spei, solidū

fundamentum. Sequitur aliud, cum dicitur

ET ACCESSIT IESVS, ad discipulos pro-

stratos in terra in faciem suam, vt etiā hic dif-

ferentiam colligas in faciem enim prosterni

humilium est, quæ virtus noui Testamenti

est propria. Ibi vero licet tremefacti Iudei;

stant tamē, vt rebelles solent. Quod & paulo

post opere demonstrarunt ipso, vitulum sibi

conflantes, eumque adorantes contempto

Deo. Humilitati igitur studeamus; quod ali-

ud spei fulcrum est. Accessit igitur Christus.

ET TETIGIT EOS. homo homines. vt

vero Deus, & metum fugauit, & membra

debilia solidauit.

DIXITQUE EIS. non solum recipſa, sed

etiam verbis solans Apostolos,

R. 4. SVRCI.

*Spei fan-  
damētum,  
timor fi-  
tialis.*

*Alterā hu-  
militas.*

*Tertium,  
fidere Deo.*

SVRGITE, ET NOLITE TIMERE.  
Dum ut surgant præcipit, vires surgendi tribuit; dum vero pauporem prohibet, illum a-morem suadet, qui *foras mittit timorem*; pauporem inquam, non filialem, sed illum seruilem excludit. Per hæc vero omnia docet, tam Apostolos, quam nos, ut fidamus Deo, qui in omni tribulatione præsto adest semper: etiamsi nonnunquam id nos lateat: quod non iniuria, sed consulto sit. Ita enim expedit. Quid vero Apostoli?

LEVANTES AVTEM OCULOS SVOS,  
quos timor & prolapsio in terram clauserat,

*Solatio  
nimium  
ne appetas.*

NEMINEM VIDERVNT. Iam enim Moyses & Elias discesserant; imo & ipsaeuanuerat transfiguratio. Ut noris, dum hic viuimus, diurnas nos consolationes habere nō posse, multo minus autem perpetuas. Quare eius, quam à principio commendauius, sis memor vicissitudinis. Multi enim consolationes etiam honestas, etiam spirituales nimium appetentes, à recto pietatis tramite turpiter aberrarunt, quando, cum has quoties vellent, habere non valerent, mundana, animalia, diabolica cõfœctati sunt solatia. O deplorandum genus hominum illis phreneticis persimile, quibus, si vel non statim, vel non tantum, quantum vellent, cibi apponas, fordes vorant. ita omnino isti.

Tu

*Ne pereas,  
et quidam.*

*simile.  
NOTA.*

Tu principiis obsta: & siquidem adsint consolationes, modeste eis utere: ne superbias. Sin absint, nimium eas non appetas, ne deludaris a Sathanā, hoc enim sapienter te docet sapiens, cum inquit: *In die honorum, ne immemor sis malorum: & in die malorum, ne immemor sis bonorum.* Eximia doctrina pro personis spiritualibus, imo pro omnibus, & maxime iis, qui in procurandis solatiis, toti sunt immersi. Itaque Apostoli neminem vident.

N I S I SOLVM IESVM. Qui instar omnium, & adiutor est omnium. O vtinam id, & credamus & meditemur omnes: atq; vt par est, tam pro consolationibus, quam pro desolationibus: tam pro secundis, quā pro aduersis rebus, & quales ei gratiarum actiones reddamus semper. Cum vtrumque æqualis sit erga nos gratiæ & benevolentiæ signum. Quod si nos id latet, at non latet eum qui scit quid& in præsenti & in futuro nobis prodeste possit. Et iuxta hæc vitam moderatur nostram. Quam bene omnia bonus! In illo ergo sit spes nostra tota. Sequitur in Euangelio.

E T D E S C E N D E N T I B V S I L L I S D E M O N T E , ac ad alios discipulos remenantibus.

P RÆCIPIT EIVS IESVS , Domum & Magistrum ut agnoscas. Iubet igitur eis.

R

Dicitus

*Christus si* DICENS, NEMINI DIXERITIS  
*sionē celat.* VISIONEM, quibus verbis silentium eis  
*r. ob Apo-* indicit. Quare? Primo ne alii Apostoli, pro-  
*stolos.* pter suam absentiam tristarentur. Secundo  
*z. Et nos da-* ut nos doceat, ea quæ ad laudem nostram  
*ceat.* pertinent: quam maxime premere silentio.

Difficile at pulchrum & proficuum valde,  
*z. Et regn-* Tertio, ut nobis insinuet aliam examinan-  
*lam det di-* dorum ac discernendorum spirituum regu-  
*scernenda* lam. Quando enim aliquis, vel aliquas suas  
*fficiens.* nobis reuelationes vltro intrudit, magnam  
dat suspicandi occasionē, illusiones illas potius Sathanæ, quā diuinæ esse reuelationes.  
Oquot etiam viri docti & pii hac ratione de-  
cepti fuerunt. At inquis, sanctitatis laude  
præminent, qui hæc referunt. Certe haud  
magnum sanctitatis indicium est talia iacta-  
re. Quis sancto sanctorum & Apostolo eius  
Paulo sanctior? Quorum tamen ille, vt audis  
in Euangelio, cælare visiones iubet. Hic au-  
tem post multos tandem annos, nee aliter,  
quam ipsa adactus necessitate, vnam suarū  
manifestat reuelationum; idq; & tam inu-  
olute agit, vt non facile agnoscas, de quo lo-  
quatur, & in genere tantum. Sed eadem in-  
quis, necessitate, imo diuina iuſſione, qui-  
dam vel quædam coguntur suas manifes-  
tre visiones. Perraro equidem id euenit:  
persæpe vero sub hoc prætextu incauti, &  
ipſi, à Sathanâ dcluduntur, & aliis illudunt:

Pro.

*Obiectiones*  
*seminuntur.*  
*z. Cor. 12.*

Proinde cautos nos esse oportet, tum circa nostras, tum circa aliorum reuelationes di- iudicandas. Accipe vnam è regulis. Cum inde aut nihil, præter nostrum resultat honorem, aut modicum quid ( secundum illas vniuersales normas, quibus omnia ad laudem Christi trahere consueimus, licet aliud quid in pectore lateat ) tacendum est. Quo auctore? ipso Christo in hodie- no Euangelio. Quis enim dubitauerit, ma- nifestationem huius visionis, & in magnam Christi Domini gloriam, & non in parvam aliorum utilitatem cedere potuisse? Nihilominus taceri, saltem ad tempus præcipitur, nempe.

DONEC FILIVS HOMINIS, ipse videlicet, qui haec loquebatur Christus Do- minus.

A MORTVIS RESVRGAT. qua dñe  
quæritasle inter se Apostolos, quid esset, cum *Mat. 9.10.*  
a mortuis resurrexit, testatur alter Euange-  
lista. adeo difficile illis erat intellectu, quod  
nobis est iam tam facile creditu. Est igitur,  
quod & diuinæ ipsius bonitati maximas a-  
gamus gratias, & ad benefacta maiora per-  
cipienda nos sedulo præparemus.

Eam vero ad rem plurimum nos iuuabit, *Duo circa*  
*tū vicissitudinū, de quibus in hac concione finem confi-*  
*multa locuti sumus, ings cōsideratio: tū dñi deranda,*  
*nā spei diligens in nobis exsuscitatio. His*  
*igitur*

*PRIMVM  
VICISSITUDI-  
NIS.*

*2. NECESSI-  
TAS EARUM EX  
EUANGELIO.*

igitur duobus, iuxta condic*ta*, finem dictis imponamus. In primis autem vicissitudinē rerum prosperarum cum aduersis, consolationum cum desolationibus, tum necessitatē, tum durationē, tum remedia, tum fructus videamus. Et necessitas quidem eārum ita toto Euangelio nobis ob oculos ponitur, ut nihil sit in eo, quod non alternationē istam spiret. Etenim mons ipse, nonne & in ascensu suo asperitatem, & in superficie iucunditatem habet? En varietas. Quid personæ? Earum tribulationes paucas audiuitis, plures cogitare & in sacris codicibus legere potestis. Ipsius certe capitū Christi Iesu ita ex prosperis & aduersis ab instanti conceptionis, usque ad extremum vitæ suæ, quasi conflata fuit tota. Res vero cæteræ, quæ in monte hoc visuntur, imo & rerum similitudines eandem nobis inculcant varietatem. Etenim visio ac transfiguratio ipsa, aspectu quidem iucunda est: at vero vox tam terribilis, ut discipulos in terram prosternat. En vicissitudo. Quid autem pulchrius Christo, Mose & Elia, quibus Petrus vult ædificare tabernacula? Quid vero terrificum magis morte, & morte crudelissima, de qua inuicem loquebantur? Deniq; Sol ipse, cui facies Christi comparatur, & dum splendet, mulcet: & dum obtenebratur terret. Similiter nix & aspectum recreat

can-

candore, & algore tactum lœdit. Ecce vniuersa viciſſitudinibus plena, & in monte: & in ea quam mons ipſe designat Ecclesia.

Quamdiu porro hæc durabunt? Responde. <sup>2. Duratio.</sup> Etu quidem Christi durarunt, D O N E C F I-  
L I V S H O M I N I S A M O R T V I S resur-  
geret: in Ecclesia vero eius permanebunt,  
donec idem Christus ad iudicandum vene-  
rit. Remedium ut ea æquanimiter toleren-  
tur requiris? Cape. Tum hoc ipsum, quod <sup>3. Remedies.</sup>  
iam diximus, nempe necessitudinem ipsam.  
Quis enim fortis & magnanimus ( quales  
Christianos esse decet ) non ferat patienter,  
imo & libenter, quod euitari non potest?  
quodq; ei cum omnibus, etiam præstantif-  
fimis commune est? Tum vero prouidentię <sup>Tum diuina-</sup>  
Diuinæ pia ac diligens meditatio & admi- <sup>ne pressio-</sup>  
ratio. Is enim ita vult fieri, qui in sua dispo- <sup>denta con-</sup>  
ſitione non fallitur. Causas requiris? Ipſe <sup>fideratio,</sup>  
nouit omnes. Do aliquot. Primo largitur <sup>quam</sup>  
prospera & consolationes, ne deficiamus in <sup>NOTA.</sup>  
via: immittit aduersa ac desolationes, vt nō <sup>Tum cau-</sup>  
ſimus fidentes in nobis, quod totidem verbis <sup>sus eius</sup>  
expressit Apostolus. Secundo, concedit be- <sup>quatuor.</sup>  
neſcia, vt illum, dat plagas ut nosmetipſos  
agnoscamus. Tertio tribuit bona, vt bonū  
laudemus: mala vt plus mereamur. Deniq;  
in consolationibus gustum futurorum, in  
desolationibus typum præsentium, vt hæc  
quidem fastidiamus, illa appetamus, exhi-  
ber,

*Ps. 72.1.* bet. O quam bonus Israel Deus! Tu plura  
*Eccles. 11. 27.* ab eo pete & obtinebis. nec non media, qui-  
*In 9it. 55.* bus leues fastidium, & utaris illis. Dedi-  
*PP.* num ex sapiente. Accipe aliud ex magno  
*Tum exem-*  
*plum Ma-*  
*carij.* illo Macario, qui in aduersis & desolationi-  
bus eleuabatur: in secundis vero rebus &  
consolationibus humiliabat semetipsum:  
eaq; arte superatum se esse Sathan ab eo co-  
fessus est. Egregium sane ac efficax reme-  
diū: proinde eodem nos quoque utamur. Et  
si quidem aduersis ad desperationem adig-  
mur, extollamus nos & clamemus cum A-  
postolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*  
Sin vero prosperis eleuamur, humiliemut  
*Job. 25. 6.* & dicamus cum Job. *Homo putredo, & filius*  
*Eccles. 10. 9.* *hominis vermis.* Et cum sapiente: *Quid super-*  
*bis terra & cinis?*

*¶. Fructus.* Ad extremum vicissitudinum patienter  
toleratarum fructus noto: iam iam notaui  
plurimos: tum Dei suiq; cognitionem: tum  
maiis meritum, indeq; gratia & gloria abundantiā. Quid his bonis maius bonum?  
*SECVN.* Addo vnum, spēm videlicet ipsam, quę cum  
*DO. SPES.* toto vitæ tempore: tum vero in extremis no-  
*Qua crevit* stris multum inde sumit virium. Sicut è con-  
*s. è fuga de-* trario, qui vicissitudines istas intelligere no-  
*liciarum,* lunt: sed volunt diuitias congregare & deli-  
*Ec.* cate viuere, ipso Apostolo teste, incident in  
*1. Tim. 6. 9.* tentationes & laqueum Diaboli, & desideria  
*multa inutilia, & nocua, quę mergunt homi-*  
*nem*

nem in interitum & perditionem. Hinc enim illi horrores mortis, de quibus differimus, ut licet mors sit praे foribus, non permittant tamen ullam eius mentionem apud se fieri, indeque, ut ex Apostolo audis, intensus & perditio tum corporis tum animæ sequitur. Dixerat quidam [nescio quomo-  
do minus mortem timet, qui minus deli-  
ciarum nouit in vita.] At ratio in prom-  
ptu est. Qui enim Christianus istas minus  
curat, is magis illas quas expectamus & ap-  
petit, & procurat, & sperat diuitias & deli-  
cias. Id igitur agamus diligenter: iis, quæ  
in decursu orationis dedimus, mediis saga-  
citer videntes. Quorum duo capita. Al-  
terum credere & fidere Christo Deo: cre-  
dere quidem omnibus, quæ per sponsam  
suam nobis credenda proponit: fidere vero  
illum nunquam nobis in nostris defuturum  
afflictionibus, prout his tribus discipulis  
non defuit. Quinimo facto hoc, & præ-  
teritis & præsentibus & futuris illorum  
occurrit necessitatibus. Præteritis qui-  
dem per Moysen & Eliam, qui eos do-  
cent, id quod illis paulo ante incredibile  
visum est, non solum credibile sed etiam ne-  
cessarium omnino esse: uenitque, ut Christus  
Ierosolymis pro humano genere mortem  
in cruce appetat. Præsentibus vero medetur  
malis

2. ex medie  
tatione  
mortis.

Veget.

3. ex fide &  
fiducia in  
necessitatibus.

malis : quando timore prostratos, ipse ta-  
ctu corroborat & erigit suo. Futuris deni-  
que præcauet , visione hac aduenturas  
tribulationes eos præmuniens , & anima-  
tos reddens. Vere misericors, vere pater-  
nam suorum curam gerens. Idem tu quo-  
que de eo tibi pollicare velim. Alterum  
mediorum caput est. Diuinæ ipsius volun-  
tati & sincere quidem te resignabis , si in  
resignatio-  
*nec* omnibus quæ vitam hanc temporalem  
concernunt, illo & Petri & ipsius Christi,  
si vis ( voluntati ipsius tuam conformans )  
vteris perpetuo , sique tam commoda,  
quam incommoda ab illo immissa æquo  
fusciplies animo. Efficaciter vero te eitra-  
des, ipsum audiendo, & quæcunque ille tibi,  
sive per seipsum, sive per eos, quos sui loco  
reliquit, demandauerit, opere ipso alacriter  
perficiendo. Præstet hoc nobis Christus  
Iesus Dominus noster, qui cum Patre in v-  
nitate Spiritus sanctus viuit & regnat  
Deus in secula seculorum.

Amen.

CON-



## CONCIO IV. CHARITAS.

AMOR  
TRANS-  
FICV-  
RANSET  
VISIO-  
NES.

Quarta  
cur hoc Eu-  
ang. lega-  
tur ran-  
tio.

**T**RIBUS concionibus, tres cur hoc Euangelium isto legatur tempore, & attulimus & excussumus causas, tam efficaces & copiosas, ut earum singulæ singulis pene singulari & sufficientem dicendi subministrarint materiam: superest & ratio & concio quarta. Nostis quidnam vobis hoc tempore Ecclesia maxime commendet? Nosse vos ambigere nequeo, cum dies hos, tempus pœnitentiarum, à vobis nuncupari audio. Quod ergo olim & ipse Christus & eius præcursor prædicabant dicentes: *Pœnitentiam agite, hic vero etiam addit, Facite ergo fructus dignos pœnitentie.* Id ipsum ex ore matris vestræ, nunc quoque resonare in auribus vestris credere debetis. Qui sunt vero hi fructus pœnitentiarum? Fructus hos pœnitentiarum ad tria reduci capita: puto vos alias audiuisse, primum est ieiunium, sub quo disciplina, cilicia, & aliæ carnis afflictiones comprehenduntur: Secundum elemosynæ, ad quas cætera opera misericordiaæ

S redi-

*Mat. 4.17*  
*Mat. 3.22*  
*Ib. Vers. 8.*

reducuntur : tertium orationes, quæ tum sacramentorum, tum sacrificiorum, tum aliarum deuotionum frequentationem, complectuntur. Pulchrum sane exercitium, ore Angelico laudatum : Raphaele sic ad  
Tob. 12. 8.  
 trumque Tobiam loquente: *Bona est oratio, cum ieiunio & eleemosyna.* Hoc ipsum nobis, cum omni, tum vero in primis hoc tempore commendat Ecclesia diligentissime. Rem ita se habere ex Euangeliis, quæ ab initio quadraginta leguntur, facile quinvis animaduertet. Quid vero cum hac Transfigurationis historia agit hodie Ecclesia? Vult nimis inter alia monstrare filii suis, quidnam hæc penitentiæ cum fructibus suis exercitatio, in animabus pariat nostris. Efficit enim spiritualem nostram, tum in hac, tum in alia vita transfigurationem.

*Propos. qua  
dramēbris.* In hac itaque concione agemus principio de causis, quæ induxerunt Christum Dominum ad hanc transfigurationem per agendam; deinde de nostra, quam hic habemus, transfiguratione, unde nam sit & in quo ea consistat: Præterea de mediis ad eam acquirendam, retinendam, ac augēdam necessariis: Postremo effectus eius mirabiles, per quos ad agnitionem, an ea in nobis reperiatur, peruenire possumus, contemplabimur. Da Christe Iesu id ita agamus, ut per hanc imperfectam, ad illam perfectissimam

quæ

que in beata SSæ. Trinitatis visione consistit, transfigurationem te auctore felices perueniamus.

Si uno verbo vniuersim scire cupitis, *Vitamoris.*  
quid nam hæc omnia, de quibus nos acti-  
ros receipimus, efficiat; A MOREM seu  
CHARITATEM esse dixerim. Charitas e-  
nim Christum Iesum impulit, ad eam quam  
audistis perficiēdam transfigurationē. Cha-  
ritas est causa, imo ipsa quasi essentia trans-  
figurationis nostræ: Charitas, media ad illā  
aquirendam & retinendam querit, eaq; ita  
condit, ut hinc omnem suam recipient effi-  
ciam. Charitate hæc transfiguratio in no-  
bis augetur, illaq; æterna perficitur. Fructus  
deniq; ipsi, seu effectus transfigurationis,  
nihil aliud quam aut gustus aut gradus po-  
tius sunt charitatis. Hæc igitur per ordinem  
videamus.

AMOR itaque Christi Domini erga  
genus humanum, prima & princeps est  
huius transfigurationis causa, quam cœ-  
teræ comitantur. Amore enim constri-  
ctus Dominus IESVS, tam ab Aposto-  
lis, quam à nobis omnibus, cum suæ,  
tum nostræ crucis scandalum auferre vo-  
luit, docens nos hac sua actione, peri-  
miscendum non esse, id quod tantam habet  
remunerationem. Amore preparauit hos  
tres discipulos ad sufferendas omnes ten-  
tationes.

tationes (præcipue vero eam, quam in hōte subire debebant) & ad easdem, spetam eximiæ, quam viderant, gloriæ, superandas.

*3.* Amore & prædixerat Apostolis, quosdam non gustatos mortem, donec viderent fi-

*Mat. 16.28* lium hominis venientem in regno suo, & quod promiserat iam præstat tribus istis effigiem regni cælestis ob oculos ponens. Amore,

*4.* transfiguratione hac sua typum dat eius, quam hic possident, transfigurationis, de

*5.* qua in præcedenti egimus concione. Amore redemonstrat fontes, vnde hæc profluat in nobis immutatio, qui non sunt alii, quam ii

de quibus egimus in exordio, cum primis vero oratio: proinde ipse Christus post ora-

*6.* tionem hanc suam perfecit transfiguratio- nem. Amore denique his tribus Apostolis,

& in illis nobis omnibus, qui id ex corum siue dictis, siue scriptis eramus intellecturi, gustum dedit nostræ, quam expectamus,

futuræ transfigurationis. Gustum inquantum ipsam vti est, teste veteri & nouo elo-

*Isa. 64.4.* quo, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in *1. Cor. 2.9.* cor hominis ascendit. Qui igitur enunciari poterit, quod ne cogitatione quidem quisquam assequi potest?

*Quibus nos amorem eius executiam in nobis.* Nos vero quid inde discemus? aut quomodo amoris huic respondebimus? Nullo alio, meo iudicio, efficaciori modo id præstabi-

stabimus, quam si hoc quasi fortissimo chalybe, amore inquam Christi Iesu, ex lapi-  
deo corde nostro, scintillas quasdam amo-  
ris eius in nobis excutere conabimur.  
Id igitur, obsecro, faciamus, singulis quos  
recensuimus, amoris Christi indicis, sin-  
gulos cordi nostro ictus præbentes, inde-  
que quas dixi, amoris erga illum nostri,  
scintillas elicentes : Hac ratione. Amore  
ille suo diuino, aufert à nobis scandala ; a-  
more nos ipsius, neque scandalizemur ex  
vlla eius actione, licet causæ earum nos la-  
teant, neque scandalizemus proximum  
nostrum, pro quo ipse mori dignatus est.  
Amore Christus nos ad patiendum pro  
nomine suo, animat & confortat : amore  
nos ex manibus eius, tam próspera quam  
aduersa, æquo suscipiamus & perferamus  
animo. Amore Christus & multa suis pol-  
licetur, & quod promittit, fideliter præstat:  
amore nos vicissim & fidem ei datam ser-  
uemus, & in eius misericordia iugem ac  
bonis operibus ornatam fiduciam habere  
studeamus.

Verum nosse forte cupitis & authorem II. MEM-  
transfigurationum nostrarum, & in quo BRVM.  
ex consistant. Quod vno dixi verbo, nunc  
explico. Autor & eff. Etor utriusque trans- Nostra trās  
figurationis nostræ, aliud non est, quam i- figuratio.  
p se Deus Omnipotens trinus & unus. Ne-

S 3 que

*Quæ du-  
plex.  
Auctoꝝ ea-  
rum, solum  
Deus.*

*Natura:  
charitas.*

*Rom. 5. 5.  
Différunt  
duratione.*

*Causa, di-  
uersitas a-  
moris.*

*1. Cor. 13. 2.*

que enim præter naturæ nostræ conditorem, rei tam excellentis conditor & efformator esse potest quisquam alias. Si enim naturas rerum ipse dat, creatque Deus, quanto magis ea, quæ supra naturam sunt, ab ipso solo ut à principali causa procedere necesse est? Eiusmodi vero est nostra transfiguratio, quæ in gratia & charitate consistit: sine qua neque in hac, neque in illa vita quisquam transfigurabitur. Porro caritatis conditor, ipse est Deus, teste Apostolo sic de una personarum diuinarum loquente: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Sunt tamen inter duplēm hanc transfigurationem nostram, nec paucæ, nec modicæ differentiæ. Vnam noto. Ea enim quæ hic habetur, amitti potest, imo sepe à multis amittitur. Illa vero cœlestis perenniter manet. Causam varietatis dat idem amor, qui quidem, dum hic sumus, fundatur in fide, quæ cum eodem Apostolo teste, obscura sit & ænigmatibus inuoluta, & ipse amor illam comitans, imperfectus & mutabilis erit ( nisi aliunde firmetur, vt factum est in Apostolis. ) At vero in patria, cum amor & charitas nostra beata diuinæ essentiæ visione firmetur ac stabiliatur, transfiguratio quoque illa immobilis, perennis, ac omnibus numeris absoluta

Soluta manebit semper. De transfiguratione huius vitæ audiatis testimonium Apostoli, de alia, illud eiusdem intellige: *Charitas nunquam excidit.* Hic enim excidere potest, sicut exciderat in illis, de quibus idem: *Nunc autem & siens dico, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Si quis vero in charitate, usque ad mortem permanescerit, eius charitas nunquam amplius excidet. (sicut desinit fides, spes, donum linguarum, & alia de quibus ibi loquitur Paulus) sed perficietur in illa vita, permanebitque in æternum. Quare cum luculenter constet, quantæ & dignitatis & necessitatis sit hæc virtus, quilibet apud se statuat, quam æquum sit de ea & aquirienda, si eam perdidimus, & conseruanda augendaque si ea potiti sumos, noctu atque interdiu cogitare, ac media ad id requisita querere, inuentisque uti.

Eam vero ad rem proderit plurimum, tum triplicis quæ in scriptura habetur transfigurationis consideratio: tum triplicis tabernaculi, cuius Euangeliū hodiernum mentionem facit in nobis fabricatio. Hæc igitur videamus, & à transfigurationibus incipiamus. Quarum quatuor quidem (plures non suppetunt) in sacris litteris videor mihi videre: unam Moysi, duas Christi Domini: quarum altera

S 4

*Exempla.*  
Ibi. *1 Cor. 8.*  
*Philip. 3.18*

*Dignitas.*

*H. MEM.  
BRVM.  
Media ha-  
bet.  
Duo eorum  
capita.  
PRIMVM  
Transfigu-  
ratio tri-  
plex.*

hodie

*Aet. 6.15.* hodie, altera post resurrectionem peracta fuit. Postrema est Stephani, de qua sic in Actis: *Et intuentes eum omnes, qui se-debant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.*

Cæterum quia hæc protomartyris ad hodiernam Christi reducitur, quatenus ea nostram, quæ in hac vita habetur, designat transfigurationem (de qua non paucis egimus in præcedenti concione) idcirco hac postposita, aliam circa tres priores assumamus contemplationem. Videntur enim hæ tres transfigurationes nobis ob oculos ponere, tum triplicem caritatem: unam minus perfectam, alteram perfectiorem; tertiam vero

*Effectus triplex statutus,* perfectissimam: tum triplicem, qui inde fluit hominum Deo charorum statum, statum inquam antiquæ legis, noui testamenti &

*Veteris legis.* patriæ cœlestis. Primum denotat transfigurationis Mosis, de qua hæc habemus. Principio illum ignorasse, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Secundo quod vidētes Aarōn & filii Israël cornutam Moysificiem timuerunt prope accedere. Porro que hic

cornua dicuntur erant duo quidam radii lucidi, è Moysi capite promanantes, qui Aarōnem & alios tum rei nouitate, tum splendore suo terrebant. Tertio constat nobis è scriptura Moysem posuisse velamen super faciem suam: quod quidem teste

Apo-

*Causa eius*

*triplex a-*

*mor.*

*Exod. 34.*

*29.*

Apostolo, usque in hodiernum diem cum legitur Moyses positum est super cor Iudæorum, ne veritatem Euangelij agnoscere queant. En tibi effigiem veteris Testamenti. Alterum vero in quo nos sumus, hodierna Christi Domini transfiguratio; tertium vero neme peccatum, illa quæ post resurrectionem in Christo apparuit, statum designat. Conuenit quantum video in tribus. Primo quia omnes post afflictiones peracte fuere. Moy si quidem, tum post graues illas turbas & tristitiam, quam habuit ex turpissima suorum Idolatria; tum post iejunium quadraginta dierum. Christi vero hodierna, tum post simile iejunium (quod tamē multo ante præcessit) tum post ingentes molestias, quas illi sui intulerant Iudæi. Tertiam vero illam perfectissimam, perfectissima (vt ita dicam) præcessit tribulatio, quam triduo ante in cruce sustinuerat. Quis hisce ad patienter tolerandas huius mundi tribulaciones non moueat? Secundo conueniunt, omnes tres in monte factæ sunt. Molis quidem in monte Sinaï; hodierna in monte Thabor; illa vero alia, in monte Caluariæ, teste Ioanne, cum inquit: Erat autem in loco, Iohann. 19. 41 ubi crucifixus est hortus & in borto monumentum nouum: Vnde Christum resurrexisse nouimus. Postremo consonat quia omnes sunt quædam transfigurationes, licet multum dif ferentes in multis.

Differen-  
tiarum ca-  
pit. quia  
lex Christi  
media.  
N O T A.  
Deduci.  
tur id.  
E Ratione.

2. e Diony-  
sio.  
3. Ex Apo-  
stolo.  
4. Cor. 3. 18.

Disparitates igitur iam intueamur, qua-  
rum caput & origo est, figura & res figura-  
ta, vmbra & veritas, Ita enim & ha tres si-  
bi connectuntur transfigurationes, vt an-  
terior figura sit semper sequentis : hæc ve-  
ro veritas antecedentis. Quo sit vt lex  
Christi, statusque Euangelij medius sit, tum  
inter primum, tum inter beatorum ordi-  
nem ac gradum. Proinde si cum antiquis,  
qui ab ipso mundi exordio ad Christum vi-  
ixerunt, comparetur lux : Si autem glorie  
celesti conferatur, vniuersa quædam futuro-  
rum bonorum erit, lex nostra. Ita magnus  
ille Dionysius Areopagita, magnifice hac  
dere differit & philosophatur. Imo ipse A-  
postolus uno eodemque in loco, idem mi-  
hi expressisse videtur. Postquam enim de  
veteri Testamento velo obducto, vt audi-  
tis, differuerisset, subdit. Nos vero omnes, re-  
uelata facie gloriam Domini speculantes, in ean-  
dem imaginem transformamur, à claritate in  
claritatem, tanquam à Domini spiritu, vt no-  
ris legem Christi, siquidem cum lege veter-  
i conferatur, reuelata facie gloriam Domini  
speculari ; Si tamen cum beatorum sta-  
tu componatur, imaginem quaadmodum esse  
ac figuram per quam transformamur &  
transfiguramur à claritate hac imperfecta  
in claritatem illam, perfectissimam, qua  
beati in cælis iam perfuruuntur. Effice be-  
nignis-

nignissime Iesu, ut nos quoque in tuo nomine hic congregati, per merita tua, à Domini, id est, tuo qui noster Dominus es spiritu, & huius imperfectæ, & illius perfectissimæ transformationis participes efficiamur aliquando.

Cæterum ad declaranda quæ diximus, vnum saltem exemplum adferamus, prius. 4. Exemplum, quam ad differentias inter hæc considerandas deueniamus. Exemplo sit cœleste illud manna, quod præter cibum corporalem spirituale nil continebat, sed nuda tantum figura Eucharistie fuit. In Eucharistia vero habemus quidem rem ipsam, p. 4. *Ioan. 6. 33.* nem qui de cœlo descendit, verum videlicet corpus & sanguinem saluatoris ipsum Christum Iesum: rectum tamen speciebus & minimè aspectabilem, quem in cœlo reuelata facie visuros nos speramus. Idem dic *1. Iam dicitur.* de transfiguratione & multis alijs, ex quibus euidenter pater, quomodo status novi Testamenti, inter duos illos, sit medius. Sed sunt & alia inter hæc differentiae. Moysis enim transmutatio tantum abest, ut virtute ipsius peracta fuerit, ut ignorarit an ea illi obuenisset. At CHRISTI Domini vraque transmutatio ipsius potestate perfecta est, quæ etiam virtusque nostræ transfigurationis & exemplar

2. Ratione  
causa effici-  
entis.

*Hinc diffe-  
rentia.*

*3. Timor & plar & causa existit. Alias differentias per-*  
*duplex a- strinxi in praecedenti concione, præsentim*  
*mor.. illam timoris, in quo vetus; & amoris, in*

*quo nouum Testamentum fundatum fuit;*  
*nunc addo tertium quid, amorem videlicet*  
*& perfectissimum & inamissibilem, qui cœ-*  
*lestis patriæ proprius est. De duobus prio-*

*Rom. 8. 15, ribus est illud Apostoli, Non enim accepisti spi-*  
*ritum seruitutis iterum ( Nota verbum ) in ti-*

*more, sed accepisti spiritum adoptionis filiorum,*  
*in quo clamamus Abba pater. De tertio vero*

*illud propriè intelligitur alterius Apostoli:*  
*Perfecta charitas foras mittit timorem. Quam-*

*uis enim, etiam nunc reperiatur aliqui, qui*  
*bus id suo modo, id est, respectu veteris legis*

*competat; tamen demum in patria, ubi de*  
*non amissione gratia securi erimus, perfe-*

*ctè id impletum iri, non est, qui non videat,*  
*Exhortatio. Quare cum in amore fundati simus dile-*

*citissimi; ne iterum reuertamur ad legem ser-*  
*uitutis & timoris, sed amemus & ex amore*

*impleamus legem Domini Iesu, ut ipse quo-*  
*que impleat in nobis, quod pollicitus est*

*nobis, dicens: iterum autem video vos, Et*  
*gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum ne-*  
*mo tolleret a vobis. Gaudium autem amoris*

*effectus est. Ames igitur nunc, ut gaudeas,*  
*& hic bene & illic plenè. Ideo cuim subiun-*

*git, ut gaudium vestrum sit plenum. Hic enim*

*plenum esse nō posse Augustinus, & res ipsa*

*loquitur.*

Pec-

*Ioan. 16. 22*

*ib. 6. 24.*

Perueniemus autem ad illud gaudium *SECVN-*  
plenum dilectissimi : si tria tabernacula in *DVM ca-*  
nobis fabricauerimus, ac in ijs, quamdiu hic *put medio-*  
sumus, habitare non neglexerimus. Neque *rum.*  
vero timeamus, ne hoc nomine reprehē-  
damur, ut reprehensus fuisse videtur Petrus,  
quando dicitur, illum nesciuisse quid lo-  
queretur. Tantum enim abest, ut id nobis  
prohibeatur, ut potius præcipiatur. Nec  
sine causa vtrumque Petri namque taber-  
nacula in monte; nostra in mente, Petri ter-  
rena, nostra spiritualia. Petri parum dura-  
tura, nostra perpetuo mansura esse debe-  
bunt. Nostra enim fundantur in Charita-  
te, quam nunquam excidere audistis ex A-  
postolo. Sed & materia ex qua ea forman-  
tur, eadem charitas est. Quibus vero sunt  
exædificanda? Primum & præcipuum de-  
betur Triadi sanctissimæ, Christo Iesu ac o-  
mnibus sanctis: Alterum vero nosmetipso, *1. Cor. 13.8.*  
postremum proximos nostros concernit.  
Figuram eorum habemus in ijs, quæ Petrus  
extruere voluit. Dei enim, ipsius Christi; no-  
strum vero Eliæ; proximi autem Moysi de-  
notat tabernaculum. Quæ vero eorum se-  
des? Mens est & cor nostrum, ita tamen ut  
& lingua & manus, cum opus est, ad ea effor-  
manda concurrant.

Ænigmati forte hæc videntur vobis esse  
similia. Edifferamus igitur illa, ut omnes in-  
telligant.

*Natura*  
*Trinitatis*  
*image.*

*Sedes, cor*  
*&c.*

*Materia,*  
*amor.*

*Descriptio.*

telligent. Ac in primis reducamus vobis in memoriam, quod alias diximus, charitatem seu amorem, de quo hic agimus, & unum & trinum esse. Unus est ex natura sua, triinus propter tres hosce respectus : quia tamen ita sibi inuicem innexi sunt, ut automnes aut nullum habeas necesse sit. Nec mirum. Unus etenim idemque amor est, quo & Deum & proximum, & nosmetiplos ordinatè amamus : Separantur autem meate & lingua, quando & tanquam de separatis loquimur, & unum sine altero consideramus. Denique praeceptum de his Dei ipsius & Christi Iesu audi. de primo quidem :

*Præceptum  
de illis Dei  
& Christi.  
Deut. 6.5.  
Mat. 22.37*

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, ait Deus. Nonne vides tam à Moysè, quam à Christo, cordis primam fieri mentionem? Et merito. Ex corde enim diffundi debet, & in linguam, ut cum necesse est, illum coram hominibus confiteamur, & in manus, ut quæ præcipit operemur. Idemque in ædificio alterius & tertij tabernaculi obseruandum est. De quibus eiusdem Christi ibidem mandatum habes, cum dicit ; Diliges proximum, sicut te ipsum. Teneatur igitur etiam nosmetiplos diligere, & ad instar tabernaculi nostri, proximo tabernaculum in nobis figere firmareque. Sed caue ne id de illo inordinato, sed de ordinato

dinato amore intelligas. Is enim cœlum, ille vero infernum ædificat. De quibus, quia alias copiosius egimus, integris etiam concionibus: nunc strictem tantum quædam erunt insinuanda, nec alia quam quæ hodiernum nobis porrigit Euangelium; & <sup>Dom. 2. Ep. 3. Ep. 4. Aduentus.</sup> quæ designant hæ tres personæ, quibus Petrus singulis singula vult fabricare tabernacula, seu tentoria.

Nostis tabernacula & tentoria duas habere partes essentiales, fulcrum videlicet, si-  
ue columnam; & ipsum quod ex ijs pen-  
det velum, aliudque velo respondens, quod  
ab intemperie aëris munit habitantes in  
eis. Hæc ipsa in nostris tabernaculis spi-  
ritualiter intellecta spectanda erunt. Ita-  
que primum & præcipuum, quod Deo  
debetur, docebit nos constituere ipse fi-  
lius Dei C H R I S T V S I E S V S. Qui  
duo nos ad hoc tabernaculum adferre iu-  
bet. Nempe fidem, quæ columnæ cum  
suo fundamento, seu fulcri vim obtinet.  
<sup>PRIMVM</sup> <sup>Christi,</sup> <sup>quod Deo</sup>  
*Sine fide enim impossibile est placere Deo, te-*  
ste Apostolo. Idcirco, qui ea caret,  
quidquid substruxerit, corruet. Non  
carebimus autem illa, si omnibus quæ  
nos D E V S per sponsam suam, Eccle-  
siam, docet, firmiter crediderimus. quod  
facite obsecro. Nam alias actum erit de  
vobis,

vobis. Fidei autem superinducentis velut coccineum & purpureum , tum charitatis, tum frequentationis sacramentorum, in quibus sanguis Christi continetur. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum, teste Spiritu sancto.* Usus vero sacramentorum præmunit nos contra mundi huius tempestates, teste experientia.

Iac. 5. 20.

SECVN-

DVM. Moy

ſ. quod pro  
timo.

dabimus ? Proximi, dixi: cuius columnam cum sua basi est iustitia . ipsum vero ex misericordia conficitur. Eximius in utroque

Moyses. Is enim postquam factus estdux populi, Non solum neminem laetit, & suum cuique attribuit, quod iustitiae est propriissimum, sed etiam cum esset index, alijs ritè iustitiam administrabat. Fuit autem index duplī nomine. Nam & civilis, & Eccliasie regiminis clavum tenuit. Porro iustitiae ad-

Hoc iudic.  
bus maxi-  
me commi-  
dat.

Num. 12. 3.

Exo. 34. 32.

iuxit mansuetudinem & misericordiam; ac in omnibus egregie se gessit. Nam fuit vir & in iure dicendo incorruptus, & in cōuer- fando culpasque condonando mitissimus, per omnes homines, qui morabantur in terra. & erga proximum adeo misericors, ut in su- prema populi calamitate , Deo se pro eo quodammodo opponeret. Hunc igitur in isto fabricando tentorio imitentur cum omnes, tum vero iudices & principes. Omnes quidem, ynicuique quod suum est, reden-

dendo

dendo; culpas libenter condonando, man-  
suete agendo, proximoque totis viribus o-  
pem ferendo. Iudices vero dona repudi-  
ando, respectum personarum fugiendo;  
summum ius, ne excrescat in summam in-  
iustitiam misericordia temperando, nihilq;  
ex odio, sed omnia ex amore faciendo. O  
beatus populus, cui tales sunt iudices, ipse  
quoque talis.

Tertium restat tabernaculum Eliæ per-  
commodum, tentorium inquam amoris  
nostrí ordinati, cuius columna est humili-  
tas; ipsum vero è mortificatione constat, il-  
la in abiectione, imo in odio sui teste Chri-  
sto, hæc in refrænatione passionum corpo-  
risque afflictione consistit. Quis propheta-  
rum in istis Eliæ rigidior? Ipse enim cum  
tanta esset auctoritatis, ut reges qua exau-  
thoraret, qua crearet; ut duces cum suis  
militibus in fauillam redigeret; ut cœlum  
quamdiu vellet, ne pluiam daret, tene-  
ret; adeo tamen sui honoris prodigus fu-  
it, adeo sui osor, ut profugus hinc & inde  
vagaretur; ut à paupere vidua viatum pete-  
ret; ut tanquam territamentum pilosus zo-  
na pellicea accinctus renibus oberraret, & a-  
lia veræ humilitatis, & odij sui argumenta  
præberet. Quid dicam de corporis mor-  
tificatione? Vestitus eius vix villus, præ-  
ter zonam illam pelliceam, cibus tenuissi-

TERTI-  
VM, Eliæ,  
quod nobis;

Luc. 14. 27

3. Reg. 19.

15.

4. Reg. 1. 1.

T. mus

*3. Reg. 17.  
20.*

*In eo ex-  
cellat tre-  
ligos.*

*Sap. 9. 15.*

mus & vilissimus. Id enim ipse cum Deo loquens, testatur inquiens: *Etiamne vi- duam apud quam ego r̄cumque sustentor affli- xisti?* Benè dicit, vt cumque sustentor quia multis diebus solo ibi pane vicitabat, & insuper ieiunia stupenda addebat, & tor- tus contemplationi deditus erat. Hunc igitur cum omnes, tum vero qui religio- sam complexi sumus vitam, imitemur o- ro, in corpus, quod teste Spiritu sancto ag- grauat animam, rigidi existentes, si non tantum quantum Elias, at tantum quan- tum vocatio postulat vniuersiusque; sal- tem & paucis, & non delicatis contenti- se velimus: id enim minimum est, quod hac in parte à nobis præstari possit debe- atque. Adijciamus porro orationis & me- ditationis iuge exercitium. Nam & hoc ad domandam carnem valet plurimum. Denique vt uno eodemque CHRISTI verbo concludam, nosmetiplos odio pro- sequamur sancto. In hoc enim & ordina- tio amoris, & ædificatio huius tabernaculi fita est maximè.

*Objec̄tio ex  
Apostolo de  
non odien-  
da carne.  
Eph. 5. 29.*

Sed occurunt h̄ic quidam, carni suæ ni- mium applaudentes, ex Apostolo dicente: *Nemo enim vnguam carnem suam odio habuit,* sed nutrit & fouet eam; indeque carnis mor- tificationem encuare conantur. Quid? Estne Paulus Christo contrarius, qui non carnem

carnem

ēarnem modo sed ipsam animam odiſſe *Soluitur.*  
nōs p̄cipit? Abſit. imo vero uterque i- 1. Quid id  
dem & p̄cipit, & facit, & dicit. P̄cipi- p̄cipit, fa-  
pit Christus odium ſui, idque opere exequi- cit Et dicit  
tūr, & carnem ieju nijs, peregrinationibus,  
alijsque modis affligendo, & animam pro- Paulus,  
oui bus ponendo. Facit hoc ipsum Apo- quod Et  
ſtoliſ: Mortificate ergo membra veftra que Christus.  
ſunt ſuper terram, ait ille. Ecce p̄ceptum;  
quod Et ipſe exequitur, tum ieju nijs, que  
multa enuemerat, tum ratione alia domans  
corpus ſuum. Audi illum de ſe loquen- 1. Cor. 9.20.  
tem; Sic pugno non quaſi aerem verberans,  
ſed caſtigo corpus meum, & in feruitutem re-  
digo. Quid ni id de flagellatione ſuip-  
ſius intelligamus? Denique idem & Ma- 2. Ex scopo  
gister, & diſcipluſ loquitur, ſi ſcopum  
vtriusque recte attendas. Christus enim  
mandat nobis odiſſe animam, & multo  
magis corpus, ne peccemus prauis eorum  
acquiescentes deſiderijs. Eodem modo A-  
poſtoliſ ne peccemus, prohibet odio pro-  
fequi carnem ſuām, id eſt, vxorem ſuām. Id  
enim in vitio eſſe multis ibidem probat ar-  
gumentis. Et hic eſt verus ac genuinus  
loci illius ſenſus. Non eſt igitur, quod à  
delicatulis corporis ſui amatoribus, a-  
lio trahatur. Præter has vero ſolutio-  
nes duæ aliæ ſuppetunt, notatu ſanè dig-  
nae. Altera pro intellectione ſcripturæ.

T 2 In

3. Ex regula  
la interpre-  
tanda scri-  
pture.

4. Quia  
qui odie-  
runt.

In ea enim eiusmodi propositiones vniuersales, tam à Prophetis & Apostolis, quam ab ipso Christo plerumque ex communivulgione opinione proferuntur, & ideo multis sunt obnoxiae exceptionibus, ut solent esse ea, quæ proverbialiter dicuntur. Idem hinc quoque cogites velim. Altera, in magno errore esse, qui putant illos, qui carnem affligunt ieunijs caterisque similibus exercitijs, corpus odisse suum; cum è contrario hoc ipso facto demonstrent plurimum se illud amare. Quo teste? Vobis metipsis & maxime ipsis delicatulis; qui si forte in aliquem morbum inciderint, quis non querunt capiuntque amaras licet medicinas? insuper & sectiones & ystiones corpori sanè molestas? Imo vero etiam cum sani sunt, dum comantur, ornantur, poliuntur quas non cruces subeunt? tales certè ut nonnunquam (præsertim scemini) etiani deliquium animi patientur. Quis vero dixerit odio, & non potius amore maximo corporis sui id eos facere? Id ipsum sicut de ijs qui corpus suum mortificant sibi quisque persuadeat rogo. Illos videlicet, cum certi sint, se pro singulis eiusmodi afflictionibus, quas propter Christum hinc sustinent, eximium decorem & honorem in cœlo relatuos esse, dum talia agunt non odio, sed amore præcipuo corpus suum prosequi;

sequi, carnemque nutrire & fouere suam. O quam haec paradoxa plerisq; videntur! cum tamen adeo sint vera, ut certa credamus fide, Christum Iesum, nullum opus amore ipsius ritè peractum, irremuneratum relieturum vñquam. Quare & Apostolum & Moysem & Eliam, in primis autem ipsorum & nostrum Dominum Christum Iesum, imitantes, tum hoc postremum tum alia tabernacula in nobis fabricare studeamus dilectissimi. In ijs enim ad acquirendam, retinendam, augendamque tam hanc quæ in vita ista habetur, quam illam quæ in alia possidetur, transfigurationem sanctam, media & remedia continentur vniuersa.

Quod ut præsternus alacrius, vtilitates & effectus, qui haec sancta, quæ enumera-  
tivus exercitia ( præsertim vero pœnitenti-  
am cum fructibus suis, ieiunio videlicet,  
eleemosyna & oratione ) consequuntur, signis trans-  
iam in Christi nomine intueamur. In pri-  
mis vero prout iij competit personis reli-  
giosis, & omnibus qui Christi sequuntur  
consilia. Hos enim, sicut in talibus magis  
exercitatos esse docet: ita etiam fructus  
referre conuenit vberiores. Porro ijdem  
fructus, sunt etiam signa, eius quæ in hoc  
mundo habetur in nobis, transfigurationis;  
quæ quidem in quibusdam sunt clariora,

*Exhortatio.*

*IV. MEM.  
BRVM.  
De effectu-  
bus exerci-  
tiorum, &  
signis trans-  
figuratio-  
nis.*

imo clarissima, in alijs vero obscuriora, pro effectuum numero, quantitate & qualitate. Sed & illud notandum est, in his fructibus seu signis esse gradus quosdam semper perfectionibus alijs succendentibus. Eos vero ipsa hodierni Euangelij historia, mirifice nobis ab oculis ponit, cuius terminos non excedemus.

*PRIMVS  
gradus co.  
rū; immu.  
tatio in a.  
lum virū.*

*Exemplum.*

PRIMVS itaque notatur gradus in ipsa transfiguratione Christi Domini. Nam ut toties diximus, transfiguratio ipsius, omnium qui pie viuere incipiunt (magis vero qui in pietate proficiunt) denotat immutationem. Vniuersi enim qui syncerè ad Christum conuertuntur, verè & realiter transfigurantur, ac in alium immutantur virum; non quidem secundum naturam, sed secundum qualitates, quæ in eorum animis ex diuina oriuntur amicitia. Hanc transmutationem sensit in se ille, qui post conuersionem per poenitentiam ad Dominum, occurrenti sibi fœminæ, qua cum antea peccabat, & impudenter se à ipso conspectui ingerente, ac inclamanti, non me nosti? ego sum illa. Respondit, video te esse illam. Sed ego iam non sum ille. Pulchrum & imitatione dignum exemplum. In veritate enim verè poenitentes, iam non est ille, qui olim fuit, quia ex impiò pius; ex filio Diaboli, Dei filius

per

per Diuinam factus est gratiam. Hic igitur  
est primus transfigurationis effectus & por-  
ta quædam aliorum.

SECVNDVM igitur notare possumus,  
in eo quod dicitur Christus ante discipu-  
los transfiguratus; Euenit enim in pleris-  
que ut non solum ipsi internè immuten-  
tur, sed etiam ita hæc immutatio appareat  
exterius, ut nec amicos nec inimicos ipso-  
rum id lateat. Inde fit, ut inimici quidem  
eos rideant, subsannent, melancholicos hy-  
pocritasque factos vociferentur. Amici  
vero si *animales* ( ut Apostoli verbis utar )  
& *carnales* sunt, tristentur, detrahant, &  
quantum possunt à sancto proposito retrah-  
tant. Si vero sint pij, lætentur, & Diuinæ  
bonitati gratias egant. Denique omnes  
mirentur quando aspiciunt illum qui an-  
tea epulabatur quotidie splendide, iam ie-  
junantem: qui aliena rapiebat, iam sua  
pauperibus distribuentem; qui deuotio-  
nes refugiebat iam continuo in templis  
manentem; & demirantes sape in illa c-  
rumpant verba, verè digitus Dei est iste.  
Verè hæc est immutatio dexteræ excelsi,  
prout res se habet verissime. indeque exur-  
git.

TERTIVS gradus, qui sub metaphoris  
Solis & nivis notatur, signatque non animæ  
tantum splendorem corporisque puritatem

SECVN-  
DVS. Ad-  
miratio hoc  
minum.

*1. Cor. 2. 14*

*1. Cor. 3. 4.*

TERTI-  
VS. Adm-  
iratio &  
indulcio  
aliorum.

T 4 ac

ac operum candorem respectu sui ipsius, de quibus egimus in præcedenti concione; sed etiam hæc omnia respectu aliorum, quos pro virili parte sua, sicut antea quispiam ad peccatum inducere conatus est, ita nunc inde retrahere, & ad poenitentiam pietatemq; fatagit promouere. In eiusmodi enim præcipue impletur illud Christi ad Apostolos:

*Mat. 5. 16.*

*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* qui & verbo & exemplo, sicut olim scandalizare, ita nunc quos possunt ædificare, & Christo lucrari nituntur, modis omnibus. His etenim translationes solis ac niuis eximiè competunt.

Sicut enim solis est & illuminare & calefacere, & viuiscare omnia; ita iij de quibus agimus hæc spiritualiter præstant, quibuscum conuersantur yniuersis. Similiter, sicut nix, oritur quidem, & cadit in terram sine strepitu; est vero natura sua & candida & molles, & eius qualitatis ut assuantes quidem refri geret, congelatos vero suo calefaciat modo (propterea à vobis, Vilnenses mei, medicinæ loco adhibetur illis, quibus nasus ita frigore obrigit ut ni id fieret amittendi illum magnum discrimen incurrent) sic iij qui hunc tertium concenderunt gradum, & mansuetè ac sine strepitu agunt sua, & in operis sinceri atque candidi sunt, & molles,

tracta-

*Solis ad ins.*

*star.*

*Et niuis.*

tractabiles, ac ad obediendū prælatis prompti, & exemplo suo concupiscentiis quidem ardentes refrigerare, frigidos vero ac tepidos in opere bono calefacere cōsueuerunt. Quod si vero hæc quæ retulimus, iis qui integre ad Dominum per pœnitentiam convertuntur, competit, quanto magis conueniunt illis, qui consilia Christi sequentes, diuino sese totos manciparunt seruitio? Qais enim non videt, quomodo ii qui id serio ac feruenter aggrediuntur, in alios plane transformentur viros? quomodo omnium in se convertant oculos, & impii quidem ludibrio, piis vero sint admirationi? quomodo quoscunq; possunt ad seruitium Christi pertinahere conantur? quomodo denique ex, quas ex solis ac niuis cōtemplatione desumptissimis proprietates illis adamassim & excellentiori quam aliis congruunt ratione? magis vero etiam sequentia.

*Quomodo  
hæc magis  
competant  
Religiosis.*

QVARTVS itaq; fructuum spiritualiū gradus, quartūmq; veræ transfigurationis signum designatur in Mose & Elia collectu, tertibus cum IESV. Quid hic mysterii? Nostis, quia iam audistis & vetus testamentum in legem & prophetas diuidi, & Mosen cum Elia typum huius rei gerere: quibus si tertium Iesum adiunxeris, de quo totū nouum agit instrumentum, sacram scripturam comprehendes yniuersam: In cuius meditatione,

*QV. AR<sub>3</sub>  
TVS Gra-  
dus Medi-  
atio legis  
Divina.*

T 5

tatione, si quempiam delectari animaduerteris gradum hunc illum condescisse iudicabis. Nunquid non vidimus aliquando, illos, qui antea ne aspicere quidē concionantem volebant, postea in audiēdo verbo Dci, assiduos fuisse? Vidimus sane, & delectui sumus, ac Diuina Bonitati hoc quoque nomine magnas egimus gratias. Impletum enim in iis conspeximus, quod hic notamus mysterium, quodque David olim edixerat, futura magis considerans, quam præterita vel præsentia recolens, ac beatum vocans virum illum, cuius *in lege Domini voluntarius*, & *in lege eius meditatur die ac nocte*. O vere beatus, o eximus huius gradus possessor, is inquam qui abnegata propria voluntate, in lege Domini voluntatem suam sepultam habet, is qui non altas quæstiones in scriptura querit, sed legem Domini requirit, & ut illam commodius ac fructuolius exequatur, in ea meditanda versatur die ac nocte. Id vero Religiosis & aliis qui in sortem Domini vocati sunt, cumpromis conuenit, qui & statas ad id horas habent, & in recitandis aut decantandis diuinis cloquiis occupantur quotidie, indeque

*QVIN-*  
*TVS, Gu-*  
*stus contem-*  
*plationis*  
*Passionis*  
*Christi.*

*QVINTVS* oritur gradus, quem Lucas expressit, afferens Moysen & Eliam locutos esse de excessu, quem completurus erat. Chri-

Christus Dominus in Hierusalem. Quia in re quid commendatur nobis magis, quam contemplatio mortis Saluatoris nostri, de qua ii disserabant? Eximium sane tum emblematum huius sancti exercitii, tum indicium spiritualis transfigurationis, quando quis cum gusto id agit. De eo enim illud dici potest: Is se profecisse putet, cui meditatio passionis Christi placet. E numero horum fuit ille, qui dicebat: *Michi Gal. 6. 14. autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quam diligentem putatis suis fe hunc, in meditanda passione Christi, qui in nulla alia re, quam in cruce Christi gloriamur? sed & alii quos noueramus erant eiusmodi, qui in hac contemplatione multos consumperant annos. Hinc vero ad alios gradus fit progressus, præsertim ad ultimum & omnium perfectissimum. Sed prius,

SEXTVM videamus, qui cum in desiderio Petri exclamantis, DOMINE BONVM EST NOS HIC ESSE: tum vero in eo, quod Lucas ait, illum nesciuisse quid diceret, signatus mihi esse videtur. Etenim peccatio quidem Petri consolationem spiritualem, quam anima ex his sanctis, de quibus disserimus, exercitiis haurit & sentit etiam in corpore: Correptione vero

Lucæ

*SEXTVS  
consolatio-  
nes, quæra-  
men non  
sunt nimia  
apprehenda-  
quia.  
I. Evangel-  
ium id do-  
cer.*

Lucæ reprehensionem & repressionem sitis  
nimiæ earundem nobis ob oculos ponit,  
Bonæ equidem sunt visiones & consolatio-

*2. quia non sunt signa transfig.*

nes diuinæ, non sunt tamen anxie procurā-  
dæ. Causas alias dedimus, duas addo: ynam  
quia eę non semper sint signa euidentia no-

stræ transfigurationis. Cur ergo plus æquo

appetantur? Etenim dantur nonnunquam

magnæ consolationes à Benignissimo Iesu,

etiam impiis, vt à nequitia retrahantur se.

Quod facit iis, quos per viam amoris ad se

trahit. Vt inam vero vt par est, tanta simus

grati Christi gratiæ. Secunda ratio est, quia

gustusisti non sunt solidus cibus Christia-

notum, sed sunt cibi tārum condimentum,

ac mel quoddam. Sicut ergo teste sapientia:

*3. non sunt solidus ci- bus.*

*4. Id docet sapiens.*

*5. ad Virs perfecti.*

*Prover. 25. 27.*

*Turzel. lib. 4. c. 7 v. 1.*

*16. Xauer.*

qui mel multum comedit, non est ei bonum, ita

qui nimium addictus est consolationibus,

non nimium proficit. Propterea viri quidā

spirituales, nonnunquam iis priuari cupie-

bant, sicut B. noster Xauerius dum eis abū-

daret clamabat. [ Sat est Domine, sat est ] &

alter quidā timebat ne per illas vellet Chri-

stus Dominus illi solvere, quidquid boni in

hac vita operabatur. Hæc dixerim, nō quod

visitationes reiiciam divinas. Absit, sed ni-

nimum appetitum cauere siad eo. Is enim &

in Petro hic arguitur, & magis à Paulo dñe

huius rei rationem, cum inquit: ut non cir-

cumueniamur à Sathanæ: non enim ignoramus

cogit.

cogitationes eius. Quas cogitationes & artes? Illas, inter cæteras, vt sub specie diuinarum suas nobis ingerat & visiones & consolations: Versipellis est enim. Idcirco quo aliquæ altiorem in spiritu gradum concendisse videt, eo subtiliores illi necit insidias. Cauetur, & magis etiam in sequentibus.

SEPTIMVS itaque notatur gradus in nube illa lucida, quæ obumbrauit Apostolos. Mirandum quid sane: si enim est nubes, <sup>SEPTI-</sup>  
<sup>MVS gra-</sup>  
<sup>dus lux ob-</sup>  
<sup>umbrans.</sup> quomodo lucet? At sint licet nubes lucidae, qui ergo ista si eiusmodi est, non illuminat sed obumbrat? Hæc norūt qui experti sunt, quos magnus ille Arcopagita in sua mystica Thæologia describit. Nobis hæc admirari libet, quia ob imperfectiones degustare non licet. Sed & hic cauenda Sathanæ deceptio: signum huius gradus est optimum, cū mens alicuius, ita in oratione, meditatione & contemplatione luce perfunditur diuina, vt <sup>Quod cum</sup>  
<sup>sigillum.</sup> quamvis stupenda & videat & intelligat, nihil tamen se videre vel intelligere arbitretur. O caligo Sancta. ò nubes & illuminans & obumbrans affectum, ne in superbiam elatus opprimatur à gloria!

OCTAVVS gradus signatur, tum in <sup>OCTA-</sup>  
verbis Dei Patris, HIC EST FILIUS <sup>VVS.</sup>  
MEVS, tum in eo, quod audientes DISCI-<sup>Extases &</sup>  
PVLI CECIDERVNT IN FACIEM  
SYAM. Qui enim hunc concendunt gra-<sup>raptim.</sup>  
dum

*Fru<sup>c</sup>tus eo-  
rum.  
2.Cor.12.4.*

*Ribad. lib.  
1.c.7.*

*Sed ad hac  
maximā  
humilitate  
est opus.  
Exempli.  
NOTA.*

*1.Tim.2.  
15.  
Et periculū  
magnum.*

dum vident insignia mysteria, & audunt verba, quæ non licet homini l. qui, ut de se Paulus testatur: imo etiam id, quod loquiles, eloqui non valent. Hac ratione B. P. N. Ignatius, extasi & visio ne illa Manresiana, & aliis illustratus ita fuit, vt assereret, etiam nulla esset scriptura, se, nec de altissimo SS. Trinitatis secreto, nec de præsentia Christi in Eucharistia, nec de aliis fidei nostræ articulis, vlo modo dubitare posse, adeo in illa reuelatione mēs ipsius diuino fuit illustrata lumine. Ceterum notandum est, eos qui hunc condescendunt gradum, cum Apostolis in faciem cadere, ac proinde valde humiliari, & abiecte de se ipsis sentire onortare, quod ita quidam præstiterunt, vt & maximos esse peccatores sincere & ex corde faterentur, & plagas quas Deus immittit proprie sua peccata euenire putarent. Deditus huius rei & causas & exempla alias. Nuncipsū Paulum intueamur, qui licet fuerit raptus in tertium cœlum, tam abiecte tamen deseliquitur, vt primū, id est maximum peccatorum se esse asseueret. Videat & considerent hæc quælo, non solum viri seu fæminæ, quæ extases se habere, visiones videre, raptusque patiarunt: sed etiam Patres spirituales, qui earum curam gerunt, vt sciant discernere eiusmodi spiritus. Cum enim talia in hoc demum gradu plerumque fieri soleant, timendum

tiendum est valde eos vel eas , quæ tanta  
carent humilitate , quantam descripsimus  
& in Paulo vidimus , non raptuum diui-  
norum , sed rabierum ( vt S. Vincentii *Vinc. in tra-*  
*etiam* *affir.*  
ri. Proinde non animandæ ( vt quidam  
incauti incaute faciunt ) sed retrahendæ  
erant plurimum à talibus , ne & ipsæ & du-  
ces Patresue spirituales earum cæci præda  
fiant callidissimi pyratæ infernalis , qui nobis  
in pelago mundi huius fluctuantibus mille  
imponit modis.

Quid ergo inquis , cum talibus facto o-  
pus est ? Tria ex Euangelio accipe , plura  
forte alias. Primum sit ex verbis illis , 1-  
PSVM AVDITE , omnium , vt ego reor , ex-  
cellentissimum remedium : nempe Obe-  
dientia. Id enim & Patres in eremo iu-  
dicarunt , & magnus ille Simeon stylis-  
tes facto ipso comprobavit. Qui mo-  
nitus ab illis , vt ex columna delicende-  
ret , statim aquieuit : etiam si illi , præcipien-  
di ei , nullum ius haberent. Itaque nos  
quoque omnes nostras reuelationes , vi-  
siones , & extases superioribus , vel Patri-  
bus nostris spiritualibus oportet manife-  
stare , vt illi eas iuxta canones . Scripturæ  
factæ , SS. Patrum , & datas à viris spiritua-  
libus regulas , examinent. Si enim id fa-  
cere neglexerimus , & sine crimine non  
erimus.

*Et regulas*  
*discernendi*  
*hos spiritus*  
*1. Obedien-*  
*tia.*

*Euagr. lib.*  
*1. historia*  
*cap. 13.*

*AB. 9. 15.  
Ex cap. 13.*

*24 Humili-  
tatis*

*15. 6. 2.*

*3. Silentium*

erimus, & illusionibus Sathanę summo nos periculo exponemus. Dei enim est, quos visitat ad superiores, re nittere (ut fecit D. Paulus & aliis.) Dæmonis vero quantum potest pedem ab ordine retrahere. Deinde quivisiones siue in scipiosis, siue in aliis examinant, primam, ut dixi, solidæ tum obedientiæ, tu humilitatis rationem habeant. Hæc enim si aberint, & ipsas veras visiones abesse optebit. Exemplo sint nobis, tum hi tres Apostoli: tum ipsi etiam Angeli, imo Angelorum supremi Seraphini; De Apostolis audimus in Euangeliō, eos videlicet, adeo se in hac visione abieciisse, ut vultus suos fixos intertra haberent. De Seraphinis vero legimus apud Prophetam, illos in contemplatione Diuinæ essentiæ, ita se humiliaffe, ut duabus aliis velantes faciem suam, nihil aliud dicerent, quam Canticum illud. *Sanctus. Sanctus.*

*Sanctus. Dominus Deus exercituum, Quid ergo nos miseros homunciones, terrenaque animalia talium exemplo decet facere? Postremo ipsa Christi prohibitio NEMINI DOMINI XERITIS VISIONEM, haud obscure profecto nobis innuit, in talibus magno silentio opus esse: nec vero sine Dei ipsis peculiari instinctu, propter evidentem proximi vel Ecclesiæ utilitatem talia propalanda esse, debito cum examine, de quo iam disseruimus.*

NONVS

NON VS & ultimus, ac qui ex dictis exer- NONVS  
citiis habuitur, fructuum spiritualium gradus perfectissi-  
perfectissimus, idemque signum supremum, per mus.  
quod transfigurationem hanc in nobis per Triacoma-  
acta esse cognoscere possumus, figuratur in plectitur.  
ultimo hodierni Euangelii dictis factisq; & ExEuange-  
tria complectitur. Primo tactum Christi Do- lio,  
mini ACCESSIT enim IESVS ET TETIGIT Eos, inquit Matthaeus. Secundo illud quod iis exprimitur verbis. LEVANTES AVTEM O-  
CVLOS SVOS NEMINEM VIDERVNT NISI SO-  
LVM IESVM Postremo silentium de quo iam egimus. Duo vero priora explicat nobis tu Job, tum Apostolus. Primum quidem Job exclamans, Miseremini mei, miseremini mei sal. Job. 19. 21.  
tem vos amici mei, quia manus Domini tetigit 1. Desideria-  
me. Qua autem ratione tactus a Deo per Dia- patieatis pro  
bolum fuerit Job, non est quod recenscam. Christo.  
Nostis enim omnes eius afflictiones, tribu-  
lationes, teritationes, penas. Alterum porro 2. Christus  
hic de seipso loquens expressit Apostolus. Syncere qua-  
Non enim iudicauim me scire aliquid inter vos, nisi rere in o-  
Iesum Christum & hunc crucifixum. Breuiter mnibus.  
cum quis desiderat se a Christo tangi, & a- 1. Cor. 2. 2.  
liquid pro nomine Iesu pati, nihilque aliud videt in omnibus suis actionibus NISI ISO-  
LVM IESVM: ipsius videlicet honorem pure ac syncere querendo, seipsum vero depri-  
mendo, suaque silentio premendo, is demum hunc se gradum ascendisse arbitretur. Talis

V Pau-

Tales <sup>Act.</sup>  
 post.  
 Act. 5. 41.  
 Tales mar-  
 tyres.  
 Euseb. lib.  
 31. c. 5.  
 Vr quædā  
 famina.

Paulus, vt iam audisti. Is n. licet *tas electionis*  
 à Christo vocatus, licet ad tertium cœlum ra-  
 ptus fuerit, licet audiuerit *arcana*, quæ non li-  
 celi homini loqui : attamen nihil se aliud scire  
 gloriatur, quâ Christum crucifixum, quod  
 & Iudæi & gentiles non ignorarent. Quâ-  
 uis aliter istis, aliter illi id notum fuerit. Illis  
 enim ad perditionem, huic vero ad salutem,  
 imo ad perfectionem id proueniebat. In Pau-  
 lo enim illa tria, quæ huius gradus perfectissimi  
 sunt propria, reluent mirifice. Primus  
 solum Iesum intueri, ut iam intellexisti. Se-  
 cundum pro nomine ipsius multa pati quod  
 tam chatum habuit, ut eorum quæ propter  
 Christum perpessus fuerat magno cum suo  
 gusto longum contexuerit catalogū. Ter-  
 tio premere omnia silentio, ut ibidē habes  
 Tales & alii Apostoli, qui flagellati ibant gau-  
 dentes à consœclu Concilii, quoniam digniha-  
 biti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ta-  
 les & innumeri vtriusq; sexus martyres, qui  
 ad tormenta, tanquā inuitati ad epulas per-  
 gebant, imo vltro ad illa currebant, & alios  
 pertrahebant. Mirandum est illud cuiuslibet  
 fœminæ Edissenæ exemplum, quæ cum au-  
 disset, Catholicos in campo martyrio affi-  
 ciendos esse, ita eo cum puerō, quem ad ma-  
 num trahebat, festinavit, ut nec portam do-  
 mus clauderet, nec se velo, ut moris est fœ-  
 minis, cooperiret, cumque à prefecto, qui  
 ad

ad interficiendos fideles ab Imperatore de-  
tinatus erat, interrogaretur, quo tam pro-  
pere cum pueru acceleraret; ad martyrium  
inquit pergo, ne tanto uterque nostrum pri-  
uetur bono. Virilis sane in feminino pectore  
animus, qui & prefecti, & ipsius Imperato-  
ris crudele pectus emolliuit, ne crudelitate  
prosequeretur suam. Tales & ex confessori-  
bus quidam, quorum ardenti patienti de-  
fiderio, ut Christus Dominus ficeret satis,  
stigma vulnerum suorum, summo cum  
illorum dolore, (quem tamet amor dul-  
cem reddebat) eis impressit; ut de S. Fran-  
cisco & B. Catharina Senense legimus. Ta-  
les nec nostro desunt tempore. Noueram  
quandam Romæ cæcam quidem corpore,  
at mente adeo videntem, ut etiam prophe-  
tico polleret spiritu, quam de hac, quam  
tractamus, materia differentem audiens,  
hæc ex ore eius excepi: Eligere se potius  
dolores & tormenta (qua grauissima sane  
paulo ante perpesta fuerat, Sathanæ ossa e-  
ius in manibus ac pedibus confringente) à  
Christo immissa tolerare, quam extasibus  
vel visionib. abundare, cumq; causam per-  
quisuisse, duplice dedit. Ea enim, in-  
quit, ratione, & Christo meo Iesu, qui inge-  
tes pro salute mea subiit cruciatus, morte-  
que crudelissimam oppetiit, quoquo con-  
formabor modo, & ab insidiis Diaboli libera-

Tales & co-  
fessores,

Tales etia  
nō protem-  
pore.

Exemplum  
cœca viden-  
tis & dicti.  
NOTA

ero: qui in visionibus quidem transfigurans  
se in Angelum lucis, facile incautos decipere  
potest. At vero in tribulationib. ac tormentis  
aut propter Christum aut à Christo ipso  
immissis patienter toleratis, tale quid facere  
non potest.

*CONCLV  
SIO ad cha  
ritatem ex  
hortationē  
1. Cor. 12.  
31.*

Dicta dicto concludo Apostolico: *Et ad  
huc excellentiorem viam vobis demonstro, ait Iesu  
le. Id ipsum & ego. Quam vero viam? Amo  
ris & charitatis, quā toto sequenti capite sum  
mis extollit laudib. ac omnib. ceteris present  
virtutibus. Idem ego quoq; tota hac egredio  
cione, quæ breui hic complector epilogi.  
Teq; ò gens Christiana, non in timore, vt o  
lim Iudei, sed in amore, vt demonstravi, fū  
data, te in quam, genus electum, regale sacerdo  
tium, gens sancta, vt te princeps vocat Apo  
stolorum, alloquor, hortor, obsecro, & ob  
testor, vt dictorum memor per timorem fis  
lialem, spemq; viuam ad viuificantem te ex  
tendas charitatem. Bonarum n. & Christiana  
rum mentium est, amore ac beneficentia  
potius, quam vlo alio affectu minifue duci.  
Amoris vero quæ hic non habuisti argumē  
ta? quæ ad amorem defuerunt incitamenta?  
Num beneficia? At eorum infinitus est nu  
merus: omnia n. quæ reeensuimus, siue que  
nobis, siue quæ pro nobis, siue quæ in nobis  
& a nobis sunt, Christi sunt beneficia am  
plissima, Amorem igitur pro amore reddas,  
quam*

*Eius laudes*

quamvis longe imparem, quia creatum pro  
increato, exiguum pro magno, valde tamen  
ei acceptū, qui parua amore ipsius facta pro  
magnis reputat. Itaq; amore ad transfigura-  
tionem curramus, quæ sine amore non sit,  
quia ex amore conficitur. Amore tria in po-  
bis extruamus tabernacula: Deo vnū, cuius  
columna fides, ipsum vero & eadem è chari-  
tate constat, & sanguine Christi Iesu, cuius  
vslus maximus est in sacramentis, rutilat.  
Proximo vnum, cuius basis iustitia, tento-  
rium vero misericordia perficitur: & nobis-  
metiphs vnum, cuius fundamentum humi-  
litas, ipsum autem è mortificatione totum  
compactum est. Amore præterea, illa quæ  
nobis hoc in primis tempore, Ecclesia com-  
mendat exercitia, iejunium inquam, ora-  
tionem, ac eleemosynam, & quæ ad hæc re-  
ducuntur, & suscipiamus libenter & perfi-  
ciamus alacriter. Amore deniq; fructus il-  
los eximios, qui ex his oriuntur exercitiis,  
nec vero sunt quidquam aliud, quam quidā  
eiusdem amoris gradus, & percipere, & cō-  
seruare, & augere studeamus in nobis: A-  
more & charitate transmutemur in alium  
virum. Charitate ædificemus proximū, nec  
ædificemus modo, sed etiam eadem charita-  
te alios ad Christum perducere conemur il-  
los præsertim, quibus scādalo antea fuimus.  
Charitate intellectum, voluntatem, memo-

*Et dictiora  
summam  
continens.*

riamq; nostrā in meditanda ac exequenda  
lege Diuina noctu & interdiu excolamus.  
Charitate in contēplanda acerbissima Chri-  
sti passione iugiter ac deuote occupemur.  
Charitate, siue consolationes diuinæ dētur,  
siue negentur, grato vtrumq; suscipiamus a-  
nimō. Charitate eiusq; pedisse qua humili-  
tate muniti in nubē lucidā ingrediamur ne  
à gloria opprimamur. Charitate visiones,  
raptus, & extasēs ne appetamus, sed in nostri  
abiectione nos exercere studeamus. Charita-  
tē deniq; cum sanctis & piis omnibus tan-  
gi nos à Christo, ac pro nomine eius aliquid  
pati exoptemus. Christum in omnib. actio-  
nibus intueamur, nostraque bona silentio  
premanus. Per hos enim nouem charitatis  
gradus ad nouem Angelorum choros (qui-  
libet iuxta mēsuram eiusdem gratiæ & cha-  
ritatis) ac ad illam perfectissimam transhi-  
gurationem perueniemus, vbi facie ad fa-  
ciem videbimus, possidebimus, & amabi-  
mus Deum Optimum Maximum tri-  
num & unum in æternum.

Amen.

DOMI